J. publ. g. 493-5

V. 9845 2 Rr

J. Fibl gem. 493

Moser

Diplomatische und Historische Belustigungen.

herausgegeben

von

Friderich Carl von Moser.

Fünfter Band.

Franckfurt und Leipzig,
In der Knoch- und Eßlingerischen Buchhandlung.
1760.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Innhalt
des fünften Bandes.

I. Viri Summi, *Hugonis Grotii*, epiſtolarum, quas vltimo Legationis *Suecicæ* in *Gallia* anno ad *Johannem Oxenſtiernam*, Reginæ Regnique *Suecici* Senatorem & extra ordinem Legatum, ſummum patriæ ſuæ ſuique ſæculi ornamentum, ſcripſit, ſpicilegium. Ex meris Autographis, quibus manu ipſius Oxenſtiernæ *præſentatum*, ut vocant, adſcriptum. Pag. 1

II. Hiſtoriſcher Bericht von der auf den Römiſchen Königs-Wahl-Tag K. Carls V. abgeſchickten Franzöſiſchen Geſandtſchaft. 135

Innhalt.

III. Rede von denen Verdiensten des Johann Winter von Güldenbron um die Stadt und Grafschafft Hanau, während dem 30-jährigen landverderblichen Kriege, welche den 30. April 1751. zu Hanau, auf dem Hörsaal der Evangelischen Schule, von dessen Uhr-Uhr-Enckel, Philipp Ludwig Rößler, aus Hanau, gehalten wurde, da er die Schul-Lehren verliesse. p. 153

IV. Der Hannoverischen Geschichtbeschreibung, Erster Theil, Zweytes Buch. 196

Ejusd. Drittes Buch. 319

1. Viri

I.

Viri Summi,

Hugonis Grotii,

epistolarum, quas vltimo Legationis Suecicæ in Gallia anno

ad

JOHANNEM OXENSTIERNAM,

Reginæ Regnique Suecici Senatorem & extra ordinem Legatum, summum patriæ suæ suique sæculi ornamentum,

scripsit, spicilegium.

Ex meris Autographis, quibus manu ipsius Oxenstiernæ *præsentatum*, vt vocant, adscriptum.

Illustrissime Domine!

Apud *Reginam* Regentem sermones audio habitos, alios de induciis, alios de pace. In pace nemo est, qui non magnas prospiciat difficultates. Sunt, qui proponant, vt tractus *Ruscinonensis*, & *Atrebacensis*, qui inter postrema sunt auulsa a Regno Galliæ, ma- 28 Maii 1643.

28. Maii 1643. neant penes *Galliam* ; contra vero Rex Galliæ ius abdicat vetus ac sepultum in *Nauarram*. Valde intricatum est negotium *Catalaniæ*. Nam & *Catalanos* plerosque *Gallici* imperii tædet, & *Gallos* non minus Custodiæ *Catalanorum*; ita, vt sint inter Gallos, qui vltro optent, vt *Catalani* a se deficiant, ne aut oneri sint in bello, aut paci impedimento. De *Portugallia* futurum puto, quod de *Batauis* factum est, pace *Verbimensi*. *Guebrianus* nihil dum agit, & ea re non immerito offenduntur *Hassici*. Dux *Anguianus* in *Hainauiam* intrauit. Metuunt nonnulli, ne circumueniatur hinc a *Melone* ; inde a *Beckio* : sed & ipsi supplementa aduenient, & *Bataui*, ut puto, partem abstrahent hostium. Dux *Vendocinensis* apud *Reginam* Regentem multum laborat, vt Regi Angliæ subueniatur, & puto id futurum, si Rex rebus ipsis ostendat, se sibi & propinquis suis melius velle, quam *Hispano*. Abnuit autem Rex ille approbare indictionem pecuniarum factam a Parlamento aduersus Hibernos, ideo, quod antehac pecuniis, sub eo nomine indictis, vsi sint contra se. Dicuntur autem Regii victoriam reportasse de iis, qui Bamburgi obsidionem volebant perrumpere ; ii vero,

vero, qui sub Essexio sunt, apud Rea- 28 Maii
dingum seditiose agere, quod vltra men- 1643.
sem stipendia ipsis debeantur; esse au-
tem eos equites ter mille, pedites
duodecies mille. Pontificios autem
Hibernos audimus non potuisse addu-
ci ad recipiendas inducias, & multos
ab illis *protestantes* cæsos ad *Blancke-
billam*. Qui belli rerum periti sunt,
iudicant, *Hispanos*, qui sunt in *Belgi-
ca*, multa peccasse: primum quod hoc
tempore ipsi hostilia cœptarint; dein-
de quod pugnarint, priusquam *Beckius*
copias suas Meloni addidisset; postre-
mum quod si pugnare vellent, non
pugnauerint antecedenti vespere, cum
fessæ essent ab itinere Galli. Sed ma-
ximum omnium fuit peccatum, quod
regimen equitatus auferre voluerint *Bu-
quoio*, eaque re & ipsum, & amantem
ipsius equitatum, offenderint. *Sulta-
nus* Turca, altera prole auctus virili,
dicitur classem habere paratam nauium
longarum LXXX, aliarum XXX. Qui
de *Sicularum* ciuitatum defectione
sparsi hic fuerant rumores, orti viden-
tur a Cardinale *Mazarino*, qui, ipse
Siculus, spe talium se hic vtilem osten-
tare voluit. Sed & inter *Riceliaci* char-
tas repertæ dicuntur, quæ faciles osten-

28. Maii 1643. tent vias perpellendi ad defectionem ab Hispano Mediolanenses & Neapolitanos. Miror, non addi & *Americanos*. Nondum liquet, qui hinc ituri sint ad colloquia pacis. Multi commendant *Bassompetram*, egregie functum legationibus apud *Anglos*, *Rhætos*, & apud ipsos *Hispanos*: vnde secuta sint pacta *Mousoniana*. Volunt multi adiungi ei *Servianum*, Secretarium antehac status vnum e quatuor; nunc ab exsilio reuersum, virum sane magni iudicii. *Lomeniacus*, dictus antehac *Villaclercius*, nunc *Comes Briæ*, creditur rediturus ad officium Secretarii status, quod antehac habuit, & magno vendidit. Eremitæ, qui antehac contra ducem *Vendocinensem* testati fuerant, nunc testantur, se vi tormentorum ex iussu Cardinalis ad mendacium adactos. *Dandelotus*, Marescalli *Castilionæi* filius, qui se Romanensi Ecclesiæ addidit, accepit a Regina, commendante hoc Principe *Condæo*, XII. millia Francicorum, & dignitatem Marescalli Castrensis. *Milleraius* adhuc ad aquas est *Borbonias*, exspectans, quem exitum capturæ sint res aulicæ, quæ nouas mutationes videntur portendere. Princeps *Condæus* coniugium nititur inter Duciſſam *Esquilloniam*,

am, cuius inuidiosæ sunt opes, & Co- 28. Maii
mitem *Brionium*, qui in gratia est apud 1643.
Aurelianensem Ducem. Effecitque, vt
Esquillonia admissa sit ad salutandam Re-
ginam, & *Aurelianensis* vxorem. Præ-
fectura *Arverniæ* Duci Aurelianensi red-
dita est, & decretum ea de re relatum
in acta Parlamenti. Viuunt Dux &
uxor eius in Palatio Reginæ quondam
matris, quod *Luxemburgicum* dicitur.
Duci *Bulionio* pro *Sedano* compensatio
offertur. Fama est venturum hic du-
cem *Carolum* sub fide Ducis Aurelia-
nensis. Regina Regens promisit *Prote-*
stantibus huius regni salua fore, quæ
antehac facta fuere, edicta, idque se
publicaturum, relatum prius in Parla-
menti acta. Creditur & imminutura
onera salis & vini, vt plebi grauia.
Melos quindecim hominum millia ha-
bere dicitur. Dux *Anguianus* plus
paullo, et exspectare accessiones. Prin-
cipes *Italiæ* prope omnes Papæ signifi-
carunt, se, nisi rem cum Parmensi tran-
sigat, tranquillitati *Italiæ* non defutu-
ros. Princeps autem *Thomas*, cura de
arce *Dertonensi* aut omissa, aut despe-
rata, in vrbem venit Taurinorum. Hæc
interim habemus, dum nouas res par-
turit hæc aula. Deus, Illustrissime

28. Maii 1643. Domine, Excell. tuam in prosperis rebus diu seruet XXVIII. Maii / VI. Junii cIↃ IↃC XLIII.

Excellentiæ tuæ addictissimus deuotissimusque Cultor

H. Grotius.

P. S.

Vidi patruum noui Regis, Ducem *Aurelianensem*, commendaui ei res nostras. Dixit, se perstiturum in consiliis & amicitiis fratris defuncti. Feceram & fœderum mentionem; sed de iis ille nihil. *) Noua coniuratio detecta est in *Catalania* contra *Gallos*, &, vt quidam aiunt, contra vitam *Mottæ Odincurtii*. Multi capti, multi, qui elapsi sunt, relegati. Armantur Barcinonæ naues longæ decem a Gallis. Dux *Carolus*, qui *Sirici* est, inde hic quendam de suis misit. *Halerius* hic a vulnere sanatur. Aduersus Maresciallum *Bressæum* multæ surgunt querelæ. *Tortosæ Hispani* habere dicuntur pedites mille quingentos; equites quingentos: *Fraguis* milites mille trecentos. Dux *Anguianus* cepit arces *Barlæmontium*, &

*) Pufendorf l. 15. §. 47.

& *Aismeriam* in *Hainauia* ad *Sam-* 28. Maii
bram. *Hispani Cameraci* præsidium 1643.
augent. *Scoti* nihil adhuc mouent
pro Parlamentariis *Angliæ*.

Inscriptio:

Illustrissimo Domino, Domino Johanni Oxenstiernæ, Reginæ Regnique Suecici Senatori & extra ordinem Legato &c. Libero Baroni in Kymitho &c.

Præsent. Wismar 16. Jun. 1643.

ubi tum Oxenstierna. Puf. l. 15. §. 45.

II.

Illustrissime Domine!

Venit ad me his diebus *Comes Bri-* 25. Iun.
ennæ, dictus ante hac *Lomeniacus*, & 1643.
Villauclercius, qui nunc locum Chauigniaci, & rerum externarum curam obtinet. Dixit mihi, Legatum ab Hispania, *Butam*, *) ni fallor, nomine, Cardinalis *Borgiæ* familiarem, & valentem ingenio, iter Monasterium versus cepisse per Galliam, & venisse *Aurelianum*. Dubitare *Reginam* Regentem, an ei transitum alia monstare deberet; an vero eum, vt expetit, admittere ad peragenda officia luctus, & solatii, inter

*) V. Didæus Sauedra. Puf. l. 15. §. 49. ex.

25. Iun. 1643. adeo propinquos etiam in bellis mediis peracta ſæpe. Cauſam dubitandi apud *Reginam* Regentem eſſe, non, quod ipſa non ſciret diſcernere, quid regno, quid ſanguini debeatur; ſed quod meueret, ne ea res offenderet fœderatos. Dixi ego, non putare me, *Suedos* offenſum iri comitate adeo tralatitia, & ita nos exiſtimare de bona fide *Reginæ*, vt, ſiquid afferretur ad rem communem aliquo modo pertinens, eius aut Reginam Suediæ, aut me, qui perſonam eius hic ſuſtineo, factura ſit participem. Cæterum *Batauos* eſſe homines multum ſuſpicaces: quid eorum cauſa faciendum, minuſque faciendum ſit, Reginam cum ſuo conſilio optime iudicaturam: me enim, qui ſatis in rebus *Suedicis* agendum reperiam, non miſcere me *Batauorum* rebus, & ante hac, & nunc valde turbidis: neque vero, ſiquis mihi locus honeſtus illis in partibus offerretur, accepturum me, ne quidem ſi permittat *Suedia*, quod, tranquilliori vitæ aſſuetus, nolim me ingerere in tam procelloſum mare: addidi, ſiquis huc veniret Legatus *Hiſpaniæ*, & ad me mitteret, cum eis verbis, que ad Regios Legatos uſurpari ſolent, me non obſtiturum officio eum ſalutandi, vti moris ſit, tum humanitatis cauſa, tum etiam,

vt

vt ſcripta quedam per *Hiſpaniam* la- 25. Iun.
tentia, & ad *Gothorum* gloriam ob- 1643.
tinentia *) impetrarem. Laudabat hæc *Briennius*: cæterum putabat, ſe a legato *Batauorum*, ad quem a me ibat, auditurum non ſimilia, itaque dubito, quid factura ſit *Regina*. Cæterum certum eſt, etiamſi legatus ille alia tranſeat, ſi Galli velint ad arcanas pactiones venire, ſatis multos eſſe in hac aula, qui tali officio fungi poſſunt: præterea ſine legatis optime talia tranſigi per *Monachos*, qui inobſeruati alibunde penetrare huc poſſunt, & Reginam clam adire in *valle Gratiæ*, quo ſeceſſu pietatis & negotiorum cauſa illa ſæpe vtitur. *Cancellarius Franciæ* adhuc incerto eſt in ſtatu. *Cardinalis* propinqui, metuentes, ne in tanta pecuniæ egeſtate, quam fecit Cardinalis, ab ipſis exigantur octuaginta milliones, quas detinere putantur, pauper olim familia, proſpexerunt locis, quorum præfecturam habent, *Blauete*, *Brouagii*, *Olerani*, & maxime *Portui Gratiæ*, quo rediens *Fortleſcuierius*, qui *Reginæ* Regenti addictus putabatur, ab arce excluſus eſt, iuſſu *Eſguilloniæ*, qui *Pontcurlæi* liberos, ſuæ tutele commiſſos, eo miſit, dixitque *Reginæ*, ſe non aliud

*) leg. pertinentia.

25. Iun. 1643. habere pignus, quo tuta fit. Iidem autem *Cardinalis Riceliaci* cognati & affines, Repetundarum iudicium metuentes, metum iniiciunt *Reformatis*, vt periculorum societate salutem sibi inueniant. Puto, *Reginam* edictorum veterum repetitione omnem *Reformatis* illis demturam metum: quod sane fieri opus est, vt nouare cupientibus subtrahatur tam potens paratumque fomentum. Et ad eam rem annitar, quantum potero. Castris ad *Theodonis villam* circumiectum iam est vallum, cui firmando interiiciuntur, ut fieri solet, castella. Spes est bona. Quo iturus sit *Guebrianus*, adhuc nescimus. Dux *Carolus*, si pecunia detur, promisit, conscripturum se octo millia militum. Tenet se inter *Nicrum* & *Rhenum*. „ *Regina* Regens *Regem* assuefa-
„ cit, ut quotidie det pecunias pauperi-
„ bus; diebus dominicis multo plus. “ Sunt, qui ei suadent, ut, obtentu necessitatis rerum Galliæ, exemplum sequatur *Henrici IV.* qui Regno suo consuluit, spretis fœderibus, quæ paullo ante cum *Anglo Batauis*que fecerat, & solenni iuramento firmauerat. Cæterum, vt est animi valde generosi, minime credo, eam parituram consiliis parum honestis, sæpe nec tutis. Si

Rex

Rex Angliæ velit ſerio ſe obſtringere in fœdus cum Gallia, primum ad tuenda regna, deinde ad reſtitutionem *Palatinatus*; non dubito, quin futurum ſit, vt hic ratio reperiatur, eum Regem reponendi in eam poteſtatem, qua vſi ſunt hactenus maiores eius. *Dauauſius* multum captat aulæ Romanæ gratias: quod ita publice expedire cenſeat; an in ſpes duas? non dixerim. 25. Iun. 1643.

Reginæ Regentis valetudo, per labores continuos & inſuetos labefacta, non nihil reuireſcere incipit. *Rex puer* bene valet, & ſane vultu geſtuque *magnum Regem* promittit. *Francofurti* vt maneat is, qui eſt, conuentus, laborant Cæſariani, & tributa maiora flagitant. Cæterum & ciuitates & principes nonnulli cenſent, non permittendum Imperatori totum pacis negotium; ſed ſuos quoque legatos debere venire in partem eius curæ. *Coningsmarckii* res audimus bene procedere: *Mottam Odincurtium*, capta *Maiaza* ingredi in *Valentiam*, & denuo CCC. francice pecunie millia ad eum mitti: tres autem *milliones* in Italiam. *Veneti*, *Ethruſci*, *Parmenſes*, *Mutinenſes*, hic cauſæ ſuæ contra *Barbarinos* iuſta demonſtrant: Dicuntur autem de Pontificio milite multis in pugnationibus cæſi ferme mille.

In-

25. Iun. 1643. Inter diuersa consilia ad faciendam pecuniam, qua belluin alatur, cum plebem nouis oneribus premere videatur periculosum, quia & *Tolosatæ* Parlamentum quædam exigi vetuit, & in *Pictonum* agro eis de causis motus orti sunt, proponitur, ut a *Publicanis*, qui rem fecerunt, mutui sumantur *milliones* duodecim. *Villæ francæ*, oppidi in *Rouargis*, disiecta sunt mœnia, in pœnam seditionis. *Tolosatæ Senatores* huc vocati. Dux *Engolismensis* ad *Guisiam* finibus præsidet. Ab vrbibus quibusdam, quæ eximias supra alios immunitates habent, ad earum confirmationem obtinendam ducenta millia scutatorum exiguntur. *Vitriacus* Marescallus triginta centuriarum cohortem scribit, quæ a Regina nomen habebit. Tributum ex censu, & ad Hospitia militum, abrogata sunt, mulcendæ plebi. Torques aurea data est cursori aulico Imperatoris.

Hæc ut scripseram, venit ad me *Balliolus*, ærarii præfectus. Is multa locutus de *Reginæ* Regentis erga Reginam *Suediæ* affectu, dixit mihi, rectius censuisse Reginam, non admittere in hanc vrbem illum ab *Hispaniæ* legatum: Decretum autem Regis & Reginæ,

ginæ, ad ſeruanda edicta de religione, 25. Iun.
iam ſcriptum eſſe. Deus, Illuſtriſſime 1645.
Domine, Excell. tuam in proſperis re-
bus diu ſeruet. XXV. Junii / IV. Julii cIc Io c XLIII.

Excellentiæ tuæ addictiſſi-
mus deuotiſſimuſque
cultor

H. Grotius.

P. S.

A *Neapoli* nauibus partim longis, partim Galleonibus, vectantur in Hiſpaniam tria peditum millia, equi mille. Hiberni complures in Angliam tranſeunt, vt Regi militent. *Motta Odincurtius* habere dicitur XV. millia peditum; tria equitum. Apud *Somerſetum* Rex Angliæ habere dicitur militum millia XIV. apud Abinctonum XVII. & dilectus facere in Carnualia parlamentariorum non tantæ putantur eſſe copiæ. Vallum, quo caſtra Ducis *Anguiani* ad *Theodonis villam* cinguntur, altum eſt pedes decem; patens in ſummitate pedes IV. in imo XII. ſunt obſidentes ad XV. millia, equitum ſimul peditumque. A *Meti* in ea caſtra venere decem machinæ, globorum & igniarii pulueris bona copia; naues ad pontem faciendum;

25. Iun. 1643. endum; aliquid præterea peditis equitisque; duo castella vallo addita; fabricatur tertium. Dicunt mihi, qui hic ærario præsunt, magnam quidem hic esse pecuniæ penuriam, sed in Hispania maiorem.

Præsent. Soltwedel d. 17. Iul. 16.43. ubi Oxenstierna lustrabat præsidia. Pufendorf Lib. 15. §. 49. pr.

III.

Illustrissime Domine!

8. Iul. 1643. Multum his diebus occupatus fui in *Landgrauiæ Hassicæ* rebus, quas non leue momentum ad Suedicas habere satis intelligo. Fœdus, quod habuit cum Rege *Ludouico XIII. personale* fuit, & cum eius Regis morte exstinctum. Cognoui multis ex locis, sollicitari eam multum, vt se addat *Electori Colonien-si*, & aliis, qui in *Westfalico* & vicinis, ut appellant, *circulis* excludere ex suis terris volunt omnem militem, præter suum, ad tuendas aduersus belli mala terras illas comparatum; ita vt permissuri sint ipsi, si ei corpori se velit addere, retinere, quem habet militem & oppida, imo & addicturi alia, in quibus miles eius sedes habeat. Neque vero ignorabam, tot exemplis edoctus, quam

quam facile isti ad tempus nomine *medii*, paullo post fiant *Cæsariani*. Didiceram prereréa, Reginam Regentem misisse in Hassiam, qui pecuniæ aliquid offerret, ut fœdus renouaretur; at vero *Landgraviam*, quæ hic habet suos, alterum nobilem, extra ordinem missum, alterum Residentem ordinarium, ut fidelibus ministris honorem haberet, qui fidem excitat & nutrit, voluisse rem eam per eos hic, non autem apud se, transigi. Hæc omnia ostendi Duci *Aurelianensi*, Principi *Condæo*, Comiti *Briennio*, qui Secretarius est ad res externas, & *Baliolo*, qui primus est in ærarii cura. Non reticui, quantum aut bello aut paci allatura esset incommodi ista Principis hactenus fortissimæ mutatio, neque illud, pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum. Possunt autem Hassici, non improbabili de causa, quia Mareschallus *Gœbrianus* copias Hassicas, & maxime equestres, per tres menses detinuit inutiles, per quod sibi tot agrorum tributa perierunt, unde alendus erat exercitus, cuius vix exiguam partem Hassia alere per se potest, ad damnum hoc resarciendum scutatorum centum millia. Allegantibus autem presentem inopiam pecuniæ, quam Cardinalis, certe is, qui

8. Iul. 1643.

mor-

8. Iul. 1643. mortuus est, fecit maximam, in priuatum corradendo multos milliones, publicis necessitatibus destinatos, dixi, posse Landgrauiæ satisfieri per assignatos reditus bonos: quo pacto reperturam eam præsentem pecuniam, quamuis cum aliquo damno, sine qua exercitus ille, adeo antehac utilis communi causæ, retineri aliqua non posset. Responderunt omnes satis comiter. Dux *Aurelianensis*, exiguum esse, de quo ageretur: Princeps *Condæus*, in consilio regio reperisse se animos satis ab hac largitione alienos; se tamen, mei causa, facturum, quod posset. *Brienius* se adiutare velle; sed orare, ut ego quoque ei adiutor essem. *Baliolus*, se, vt custodem ærarii, (id est, draconem illum, seruantem aurea mala) parsimoniæ esse laudatorem; attamen, quæ a me proposita erant, ea niti ratione, & ita esse attemperata, ut laboraturus esset, ne frustra per me ipsi commendatum esset hoc negotium. Spero, non irrita fore, quæ in hac re egi, & porro, si opus sit, acturus sum. Audio autem ex multis, ab Hispano desiderari inducias, sed perbreues; in spem forte motuum in Gallia, aut diuractionis sociorum a Gallia: quorum vtrumque Deus auertat! *Servianus*, qui

ante

antehac *Secretarius* fuit *ſtatus* ad res belli, ſed per Cardinalem remotus, & nunc legationi deſtinatus Italicæ, Marchionem *Breſſæum* adiit, vt eum permoueret ad abdicandum ſub compenſatione officium *Admiralitatis*, quod nempe Regina Regens dare volebat Duci *Vindocinenſi*, vt cum ipſius bona voluntate obtineret ſibi Regina *Britanniæ Armoricæ* præfecturam, quæ ſine periculo reddi non poſſet Vindocinenſi, qui eam olim habuit, quod & ius ſibi in eam aliquod aſſereret, & magnis ibi affinitatibus poſſeſſionibusque eſſet ſubnixus. Legati ad pacem & cunctantur, & forte adhuc cunctabuntur, ob ea, quæ aguntur poſt ſiparium. *Guebrianus* ad *Illarum* amnem eſſe ſcribitur: ad *Lichum* Dux *Carolus*. Ad *Theodonis villam* bene procedunt acceſſus flexuoſi, & ex prætorianis aliquam multi mittuntur ad augendum eum exercitum. Conſilium ſtatus, quod ſecundum eſt ab iis, qui perpetuo Reginæ adſunt, ad XXII. redactum eſt; cæteri erunt vacantes. Dux *Guiſius* hic eſt; audimus autem, Reginam vetuiſſe, ne Comitiſſa Bolſuiaca, quæ ſe contra *Annam Mantuanam*, Ducis Mantuani filiam, vxorem eius dicit, in Galliæ fines admittatur. Ille vero duarum vxorum, 8. Iul. 1643.

8. Iul. 1643. non diuersis temporibus, sed vno tempore, maritus, adhuc retinere vult Episcopatus, & Abbatias, & Sacerdotia, optima *) sane & ad familiam totam ditandam valde idonea. Sed qui partem eorum a Rege nunc mortuo accepere, vt Principis *Condæi* minor filius, & Cardinalis Mazarinus, nolunt in eius gratiam parta dimittere. Ita vbique nimiæ opes Ecclesiæ, ex quibus pauperes ali debebant, fiunt materia certaminis inter diuites. Nescio an verum sit, quod dicitur, a *Portugallis* captam in Gallicia *Saluaterram*; *Tarragonam* vero obsideri a *Motta Odincurtio*: capta ab Ethrusco Duce *Castillonium* ad lacum & ciuitatem *Pennæ*. Deus, Illustrissime Domine, Excell. tuam in prosperis rebus diu seruet. VIII. XVIII. Julii cIↃ IↃC XLIII.

Excellentiæ tuæ addictissimus
deuotissimusque Cultor
H. Grotius.

P. S.

Gaudeo, rem *Hassicam* esse in vado. Hassi, abeuntes a *Guebriano*, parum abfuere, quin Ducem *Carolum* caperent:

*) optima

rent: cœpere ſarcinas eius, & in eis enſem a Rege Galliæ datum: ipſe Dux *Carolus* Wormatiæ nunc eſſe dicitur: copiæ eius iunctæ cum Bauaris. In Francofurtenſi conuentu ad componenda ea, quæ diuerſa Religio controuerſa fecit, delegati ſunt vtrinque deni. Imperator, vt Principes & ciuitates auertat a conſilio mittendi ad loca conuentus de pace, dicit, ſe effecturum per equos diſpoſitos, vt ſingula norint, quæ agantur. Vult autem ad ipſum conuentus locum neminem mitti, niſi a ſe & Electoribus; ſed ciuitates potiſſimæ id non ſatis ex re ſua arbitrantur. Tum vero pars maior principum contra Bauari ſententiam in eo perſtat, vt cauſa *Palatina* in loco conuentus de pace tractetur. Dicuntur male inter ſe conuenire *Mercius* & *Waertius*; Moguntiacenſes autem polliceri reſtitutionem Ducis *Zimmerenſis*. In Anglia ab exercitu Regis captum oppidum *Wichamum*; ab eo Exercitu, qui apud Reginam eſt, *Nottingamum* oppidum: Et a *Roberto* Principe deprehenſus prætenturas militum Parlamenti, multosque factos captiuos. Rex offert veniam Parlamentariis; ſed ſuæ cognitioni reſeruat homines

8. Iul. 1643.

8. Iul. 1643. septemdecim, in quibus sunt & illi, qui Regine sacellum deprædati sunt.

Sept. 1643. Parlamentarii vero Classis vtriusque, hac re intellecta, pacem omnem repudiant, & capita XVII. Pimius, a Classe inferiore ad superiorem missus, obtulit, quorum rea sit *Henrica Marietta* (ita Reginam appellant), addito ad singula aduocabulo proditorie: quæ res mirum in modum Reginæ hic Regentis, nec eius tantum, sed & omnium bonorum offendit animos, qui omnes promittunt se vltores tantæ in filiam Galliæ contumeliæ, siquando pax ipsis contingat, & continget forte ob hoc ipsum citius: Interim Scoti quid facturi sint, in incerto est: quorum consilia, vtrouis ceciderint, magnum possunt afferre ad res tam ambiguas momentum.

Præsent. Arentsee d. 24. Iul. 1643.

IV.

Illustrissime Domine!

Sept. 1643. Cum *Regina* aditum ad se *Legatis* præcludat; siue quia, vt dicitur, est *icterica*; siue quod eo vtuntur obtentu, qui nihil volunt ad eius aures peruenire, nisi apud se percolatum; vt *Richelius* facere solebat. Accessi Ducem

Aure-

Aurelianenſem, Principem *Condæum*, & Sept. 1643.
Ducem *Anguianum*, quibus oſtendi,
quanta neglecta eſſent commoda, ideo,
quod Mareſcalli *Guebriani* exercitus non
accepiſſet ſupplementa & alimenta:
prædixiſſe me Reginæ, niſi melius ei
conſuleretur, futurum, vt cogeretur
eis Rhenum concedere. Eueniſſe id,
& quidem *Benfeldii* malo, qui vnus
locus nobis in *Alſatia* reſtaret; cum
cætera ſint a nobis *Galliæ* tradita, quæ
viciſſim *Benfeldii* tuendi curam in ſe
ſuſcepiſſet. Narraui mala, quæ terræ
circa *Benfeldium* incubuiſſent ab exer-
citu, ſueto licentiæ. Rogaui, vt is in-
de tolleretur, acciperet vires maiores
Bauaricis, &, quæ ſe eis iunxere, Lo-
tharingicis, & deinde Rhenum tranſiens
aleret ſe ex ſolo hoſtili. Nec oblitus
ſum dicere, federi poſtremo hoc ineſ-
ſe, vt bellum transferatur in terras *Au-
ſtriacæ* domus proprias, vt *Bohemiam*
& *Auſtriam*, multiſque oſtendere, ſpes
de *Bauaro* conceptas eſſe inanes. Illi-
gatum eum domui Auſtriacæ per adfi-
nitatem, communes liberos & poſſeſſio-
nes eas, quas, beneficio eiusdem do-
mus acceptas, niſi ea ſtante tueri non
poſſet. Addidi, Imperatorem ad pa-
cem trahendum, non Germanorum
Principum, ſed ſuis damnis. Hæc

Sept. 1643. omnia tres Principes illi adprobarunt: promiserunt, rata fore, quæ postulaueram. Omnes voluere per me nuntiari animum ipsorum optime adfectum erga *Reginam* nostram regnumque *Suedicum*. Dux *Anguianus* hoc amplius, ire se eo ipso, quo eum alloquebar, id est, iouis die, equis celeribus, vt copias per *Engolismensem* eductas e præsidiis ducat contra Bauaricos, qui cis Rhenum se collocarunt, eos aggressurus prœlio, nisi, quod futurum putat, retro cedant. Id si eueniat, relicturum se Mareschallo *Guebriano* copias tantas, per quas in solo hostili Trans-Rhenano non se sustentare tantum, sed & processus magnos facere possit. Optabant Principes, vt & *Coningsmarcius*, & *Hassici* possint venire in loca ita propinqua, vt, si res ferret, alii aliis auxilio esse possint. Dixi, me memorem futurum. Videbimus iam, quis futurus sit tot bonorum dictorum euentus. Vidi epistolam Ducis *Bauari* ad *Daniæ* Regem, in qua ei persuadere nititur, res *Palatinas* non in conuentu vniuersali tractandas, sed *Viennæ*; id enim & Legato *Roo* placuisse. Et quia videbat, obiici sibi posse tuti itineris diplomata pro Palatinis Legatis, tanto Regum labore obtenta, festiue respondit, non

posse

posse id sibi obstare, cum in diploma- Sept. 1643.
tis expressum non esset, ea dari, vt
Palatinum negotium *Monasterii* aut *Os-*
nabrugæ tractetur: plane, quasi illius
Principis Legati eo venturi essent tan-
tum, vt alienæ fabulæ spectatores. Il-
lud quoque non omittendum censui,
Ducem *Aurelianensem* & Principem
Condæum scribere iam Principi *Palati-*
no vt *Electori*. Dixit mihi Princeps
Condæus, Galliam serio laboraturam, vt
& Regis *Angliæ* imperium restituatur,
& vt præualeant *Puritanis Protestantes*
moderatiores. Adiunxi ego, omnia fa-
cienda hic pro *Rege Angliæ*, si is prius
Reginæ Regenti fidem suam obstringat,
se, nisi in colloquio iam futuro *Mona-*
sterii & *Osnabrugæ* restitutio *Palatinæ*
domus in locum dignitatemque vete-
rem obtineri possit, arma cum *Suedia*
*Gallia*que sociaturum. Video id hic
probari, nec minus in Anglia: quan-
tum dicit *Anglus* hic *Residens*. Non
est tamen hoc in mandatis *Harcurtii*.
Sed si in id prompta Regis Angliæ vo-
luntas adpareat, adiici poterit. Rex au-
tem idem a *Cloceſtriæ* quidem obsidio
repulsus; sed oppidum non minus op-
portunum *Excestriam* cepisse dicitur.
Federis autem formula, quæ a *Scotis*
missa *Londinium* fuerat, approbata est

Sept. 1643. ab Anglis Parlamentariis, mutatis nonnullis de consensu Legatorum, qui e Scotia illic venerant. Sed *Scoti*, priusquam militem mittant, quem promittunt ad viginti hominum millia, *millionem* sibi numerari volunt. *Isola*, qui pro Imperatore in Anglia est *Residens*, paria dicit, quæ Bauari epistola. Cardinalis *Mazarinus*, multum quamuis rogatur, *Electoris* titulum *Palatino* non pat; sed dicit, laborare se serio, vt is Princeps rem ipsam adipiscatur. Adeo hic rerum, quam verborum, vilior est annona. A conuentu *Francofurtensi* audimus, discessisse *Wirzeburgicos* & *Norimbergicos*,; discessuros forte ad tempus & *Saxonicos* & *Brandenburgicos*: cæteros tamen, qui manent, vsuros iure pleni conuentus, quia per ipsos non stat, quominus adsint cæteri. Qui a *Venetis* mittitur ad pacem Legatus *Contarenus*, iam *Francofurtum* transierat. Ingens in *Hispania* esse dicitur pecuniæ inopia. Id impedimento fuisse, quo minus Regis filio, vt fieri ibi solet, iuramentum diceretur per *Arragoniam* & alibi. Exercitus, qui ad *Cæsaraugustam*, rerum penuria diffluere hic creditur. Et *Portugalliæ* Regi esse duodecim peditum; duo equitum millia. Apud *Badagos* in limite *Galliciæ*

sex militum millia. *Breſſæus* non lon- Sept. 1643.
ge a *Carthagine* Hiſpanica, ad promon-
torium *Gattæ*, cepiſſe dicitur prætoriam
Neapolitanam Galeonem vnam; duo
præterea nauigia, die VII bris III. Die
eiusdem menſis XII. *Motta Odincur-*
tius Flixam a Gallis poſſeſſam periculo
exemit, diſturbatis partimque occiſis
Hiſpanis mille & ducentis, qui nauibus
per *Iberum* amnem eo venerant. Sex-
to autem Septembris in Italia pugnatum
inter *Hetruſcos* & *Barbarinicos* in mon-
te, in quo ſita eſt arx *Moniouinum*.
Victoria penes *Hetruſcos* fuit: captis
Barbarinicorum plus mille. *Caſtilionæus*
Gallicum contra Belgas limitem cuſto-
dit. Deus, Illuſtriſſime Domine, Exc.
Veſtræ det omnia proſpera.

Excell. V.

inſeruire paratiſſimus

H. Grotius.

P. S.

Dicitur exercitus Galliarum in Germa-
nia, vbi Dux *Anguianus* eo venerit,
futurus ad XV. millia. *Chauigniacus*
bis apud Ducem *Bellifortium* fuit.
Bouleius iterum hic venit a Duce *Ca-*
rolo. *Italicæ* res ab aliis aliter nar-
rantur, quam ex vulgatis hic rumo-

Sept. 1643. ribus ſcripſi. *Hiſpanicus* in *Catalania* exercitus eſſe dicitur XIV. millia peditum; equitum quatuor. *Electo*r *Palatinus* miſerat huc conſultatum, an gratum foret ſe venire in exercitum Mareſcalli *Guebriani*, tanquam voluntarium militem? Non placuit id Cardinali *Mazarino*, dixitque, mali inde euenire aliquid poſſe, etiam contra *Palatini* voluntatem. A *Neapoli* naues longe abiere in *Hiſpaniam*, quæ ferunt mille quingentos *Germanos*; mille ex Italia *Hiſpanos*. Acceſſere quædam e *Sicilia* naues, itidem longæ. Præter *Exceſtriam*, *Biddefordiam*, *Appleſordum* & *Barnſtapulam*, *Northumbria*, *Cambria*, *Weſtmorlandia*, *Durhamum*, tota Wallia, & in ea portus *Milfordium*, ſtant a partibus *Regis Angliæ*; Cuius Regis exercitus dicitur eſſe ad duodecim millia peditum; equitum ſex; præter eos, quos alibi habet *Wilmodus*, & quinque militum millia noua, quæ *Nouicaſtellius*; ſeptem, quæ Princeps *Mauritius* collegit, eo animo, vt facta indagine cingant Parlamentariorum copias. Idem ille *Nouicaſtellius Hullum* circumſidet. Nautæ autem, qui ſub *Warwicio* ſunt, ad ſeditionem pro-

prolabuntur, ideo, quod promiſſæ pecuniæ non adparent. Poſt *Breſ-* Sept. 1643.
ſæi victoriam apud *Carthaginem* Hiſpanicam quatuor Hiſpanorum naues ibidem merſæ dicuntur. Trinum captum a Gallis. Marinum, *) qui mirum ſemper in modum de pecuniæ egeſtate queritur, commendo, quantum poſſum. 7. Oct. 1643.

P. S. 2. Manu propria.

(Accepi) Literas Excell. V. datar Mindæ XXIX. Auguſti, **) pro quibus gratias ago. Legati ad tres paces hic in procinctu ſunt.

V.

Illuſtriſſime Domine!

Regina hic valet meliuſcule; non ta- 7. Oct.
men plane ab aurugine liberata. *Da-* 1643.
nauſius, ab vrbe digreſſus, nunc hic, nunc illic ruſticatur. Et *Seruianus*, quamquam & mihi valedixit, & aliis, moras nectit: conſulto hæc omnia. Velint, *Cæſarianos* & *Danos*, moræ impatientes, abire ex delectis ad pacis negotium locis. Id ſi non obtinent, dilatis, quæ

*) de hoc agit epiſtola 1682.
**) d. 28. Aug. Ioannem Oxenſtiernam & Saluium Mindam appuliſſe, teſtatur Pufendorf. l. 15. §. 51. pr.

7. Oct. 1643. quæ cum *Hiſpano* agenda ſunt, *Imperatori* duo oſſa obtrudere rodenda; de iure ordinum circa pacem, & cauſam Palatinam. Non, quod iſta ex bono *Germaniæ* velint componi; ſed quod opperiri velint occaſiones ſibi commodas ad trahendum bellum: nec quod id deſiderent nobilitas, aut plebs, aut Parlamenta; ſed quod, qui rem ſummam in manu habent, ſperent, ſe per bellum externum a motibus internis tutiores fore: quod tamen incertum eſt. Poſſet enim, manente bello externo, plebe & quibusdam principibus commotis, tantum mali exiſtere quod reprimi non poſſet, niſi vi maxima armorum eo tracta: quod ipſam *Galliam* patentem hoſti obiiceret. Sed hæc, quæ in incerto ſunt poſita, per preces Deo commendemus. Dux *Anguianus* cum duodecim, vt puto, millibus in *Biſontina* eſt regione. Dux *Carolus*, quamquam non deſinit hic ſemper tentare, ſiquid efficere poſſit, dicitur pecuniam accepiſſe a *Bauaricis* (ſunt autem ii in *Palatinatu* inferiore), vt ad *Moſellam*, & inde ad *Rhenum* veniens, ipſis ſe iungat. *Germani*, qui multum oſtentis tribuere ſolent, bellum crudele in iſtis partibus fore auguran-

tur, propter repertas Brettæ aquas ſangui-

guinolentas. Dicuntur *Bauari* quinque millia ſaccorum frumenti ad alimenta ſibi comparaſſe. Pars eorum, qui excurrerant, male habiti a *Roſa* ad *Coroniwiſenburgum*. Proditionis conſilium *Vberlingæ* deprehenſum & punitum. Qui *Hohentwile* præſidium habent, inde egreſſi, pecora a *Cellæ* portis abegerunt. Ex *Italia* habemus, veniſſe ad *Papam* bis mille *Heluetios*; ſeptingentos de *Monteferrato*: ſperare autem *Barbarinos*, breui ſe habituros tres exercitus bonos, *Viterbii*, *Peruſiæ*, ad *Caſtellum*. *Tuſcos* adhuc in obſidio *Ciſternæ* verſari: deſertum autem a *Venetis* obſidium *Lacus obſcuri*. In Hiſpanico fine *Motta Odincurtius*, re nulla peracta, rediit *Barcinonem*, diſtribuitque in ſedes commodas militem, poſtquam hinc centum millia ſcutatorum acceperat. *Francofortenſis* conuentus deliberat de *iudicio Spirenſi Francofurtum* transmouendo; de eo quod reſpondendum erit Regi *Daniæ* ſuper negotio *Palatino*, & quid *Landgrauiæ*; quæ dicit, ante pacem factam non poſſe ſe cauſam ſuam a ſociis diſtrahere. Sicut autem *Galli* aliquid ex bello ſuo ac noſtro proſperum exſpectant; ita *Imperator* & *Hiſpani* motus in *Gallia*, quales iam in *Rouargia* cœpere, viginti ibi milli-

7. Oct. 1643.

7. Oct. millibus rusticorum armatis, quorum
1643. Comes *Noalius* centum interfecisse, partem aliam obsidere dicitur. Etiam contra Marescallum *Bressæum* questus ab *Andegauensi* prouincia venere. Ducis *Bulionii* vxor in aula est. *Sanctogermanus*, qui pro Regina *Medicæa* multa contra *Cardinalem* scripsit, per Parlamenti sententiam in suam famam, bona, ac sacerdotia restitutus est. At in aula *Millerayi* filius præfecturam *Nanetensem* est consecutus. Et Eremite, qui in carcere sunt, quia contra Ducem *Vindocinensem* testati fuerant, iterum interrogantur, siquid contra eum proferre possint. Qui in *Bastilia* captiui sunt ex amicis *Vindocinensis*, nominantur *Auencurtius* & *Breedacus*. Dux *Aurelianensis* huc a *Blesis* rediit, & a rure Princeps *Condæus*, acceptis a Regina dono *Cantiliaco* & *Damartino*, ne inutilis ei sit opera, quam & ipse & filius nauarit publico. *Hispani Castilleto* imminere videntur. *Melonis* exercitus ad *Valentinianas*; ipse *Bruxellis*; *Cantelmus* ad *Demeram*. Rumor autem hic est, *Bauarum* pro octingentis florenorum milibus velle *Francothaliam* tradere *Hispanis*. *Harcurtius Duberniam* aduenit, & *Londinii*, nam illac transit ad Regem iturus, bene excipietur.

Es-

Essexius paulo ante prœlium *Neubu-* 7. Oct.
rienſe Cyrencaſtri multos ceperat com- 1643
meatus, quos Regii congeſſerant. Prœ-
lium ipſum diu æquo fuit Marte tra-
ctum ad mediam ferme noctem. Sed
Regii machinas ſuas *Neuburium* redu-
xere. *Essexius* campo inſtitit, in quo
pugnatum fuit. Dicitur vero Princeps
Mauritius obſidere *Suthamtonum*. *Neu-*
caſtelli Comitis copiæ, partim adhuc ad
Hullum eſſe, partim ad prohibendum
Scotis ingreſſum in *Angliam*. *Somerſeta*
arx a *Parlamentariis* capta. *Hazfel-*
dius ad *Bauarum* ire hic creditur: *Be-*
ckius ad Treuiros militem mittere. Hæc
nunc habemus. Deus, Illuſtriſſime Do-
mine, Exc. Veſt. det omnia proſpera.

Lutetiæ $\frac{\text{VII.}}{\text{XVII.}}$ Octobris cIↃ IↃ C XLIII.

Exc. V.

inſeruire paratiſſimus

H. Grotius.

P. S.

Dux Carolus apud *Wormatiam* arcem
Falcoſternium & alias præſidio in-
ſedit. *Hethruſci* cepiſſe dicuntur
Piegaium, *Panicatum*, *Pacianum*,
Montegallionem, *Macratam*, *Larum*,
Montrepicolum, *Martinum de Colle*,

Magna-

7. Oct. 1643. *Magnanum, Petram fixam, Bagnaiam, Cimboltolam, Caſtelliomem Vallis, Ayallum, Pilam, Monteleonem, Curnaiolam, Fabrum, Montaleram.* A circulo *Franconiæ* ſcribuntur militis, *Norimbergæ* XV. millia, totidem ab Epiſcopis *Wirzemburgenſi* & *Bambergenſi.* Totidem alii a ciuitatibus *Calombachio, Anſpachio, Rotemburgo, Weibaino,* *) *Dunckelſpilio.* In *Anglia* dicitur filius minor Comitis *Briſtouici* obſidere *Pleimuthum.*

Vidi modo *Reginam.* Gratulatus ei ſum de valetudine meliore. Rogaui a *Benfeldio* auferret exercitum, augeret & trans Rhenum mitteret. Deinde, vt Legatos ad pacem quam maxime properare iuberet, ne qua noſtræ parti culpæ adſcribatur. Non tantum hæc facturam ſe dixit, ſed & facere, neque bello fortiter gerendo ſe defuturam, neque bonæ paci.

P. S. 2. Manu propria.

Accepi literas Excellentiæ Veſtræ datas $\frac{\text{XVII.}}{\text{XXVII.}}$ Septembris, gratiaſque ſummas ago. Pro reſponſo erunt, quæ ſcripſi ſupra. *Chauigniacus* bene valet.

VI.

*) Windsheim.

VI.

Illustrissime Domine!

Scripsit D. *Dauausius* Reginæ Re- 6. Ian.
genti, ad reficiendum exercitum, qui 1644.
disiectus ad *Danubium* fuit, pecuniis magnis opus, quas sine plebis incommodo reperiri posse apud eos, qui in functionibus publicis plurimum essent lucrati: Se, qui de publico rei non multum feciſſet, paratum esse ad præsentes necessitates conferre centum millia scutatorum, dum alii pro rata parte *regni* res adiuuent. Hæc liberalitas, popularior, quam præsens aula pati possit, pro gratia odium ei reddidit; quia qui plurimum hausere, minimum volunt reddere. Censent omnes, binis millionibus vt minimum opus ad reficiendum exercitum, qui nuper disiectus fuit. Ad augendum exercitum, qui in *Catalania* est, pecunia opus eo maiore, quia populi isti, videntes, se armis sumtis suas res nihilo feciſſe meliores, non possunt in obsequio nisi per vim retineri. Et munienda est *Ilerda*, nisi, quod quædam literæ nuntiant, iam obsidetur ab *Hispanis*. Pecuniæ autem in hoc regimine satis infirmo difficulter reperiuntur, quia multis in locis seditiones armatæ oriuntur,

6. Ian. 1644. quæ ſedari non poſſunt, niſi remiſſis tributis; vt nuper in Pictonibus, & alibi factum eſt. Cum vero plebs noua onera pati nolit, & potentes adeo nihil in publicum conferre velint, vt quotidie rapiant plura; fieri non poteſt, quin attenuati exercitus regni latera obdant hoſti. Princeps *Condæus*, qui a *Burgundia* rediit, ab ordinibus eius ducatus nihil ferme impetrare potuit. Opponunt neceſſitati publicæ egeſtatem priuatam. Factiones ſub cineribus latent; non ita tamen, vt non indicia erumpant. Nuper in area regali apud effigiem *Ludouici* XIII. poſita hæc eſt inſcriptio: „ Henricus Guiſius, aulico „ molimine ad duellum vocatus, & in „ arenam regiam ductus, Colinæum, „ antiquum religionis & Guiſianæ gen„ tis hoſtem, debellauit, inflexit, & „ inermem reliquit, Anno Domini „ cIↃ IↃ c XLIII. *) “ Cardinalis *Mazarinus*, vt mos eſt illorum hominum, indies Legatos magisque deprimit. Dux *Carolus* hic ſuos miſit, vt per Ducem *Aurelianenſem* res ſuas componat. Dicit ad ea, quæ ex Gallia ei fuere propoſita, non poſſe ſe arma ſumere contra

*) Reſpicit duellum, de quo ad fratrem ſcripſit ep. 683. append.

tra Imperatorem & Imperium, a quibus feuda habeat, etiam præter *Lotharingiam.* Desiderat *Marsillacum* sibi reddi: Iudicia exerceri ad fanum sancti *Michaelis* pariter Regis & suo nomine: *Nanciacum* sibi ita, vt est, restitui, ubi pax erit facta. *Bauarus* ita paciſci vult cum Gallia, vt ab eis terras suas intactas habeat; ipse suas copias non sinat ire ad inferendam vim Galliæ: cæterum a defendendis Imperii terris non posse semet abstinere, iuramento ad id obligatum. Audio Cardinalem *Mazarinum* aurem præbere his conditionibus. Nam & cum *Marsillaci* præfecto egit, an vellet pro illa præfectura vicariam accipere *Meti.* Ex *Francofurto* discimus, vehementem ibi esse consternationem ob irruptionem nostrorum in *Holsatiam* & vicina loca: Scripsisse conuentum, qui ibi est, ad Imperatorem pro vidua *Electrice Palatina* & Duce *Cimmerensi*: Electorem autem *Brandeburgicum* interceſſisse, quo minus literæ ad Regem *Daniæ* scriberentur, quales Bauarus dictauerat in re Palatina: & Ducem *Carolum* & *Hazfeldium* magna ex agris colligere tributa: motus ab *Hungaria* exspectari. *Gorinus*, Angliæ Legatus, de fœdere tacens, nihil quærit aliud, quam vt Gallia fideiubeat pro 6. Iall. 1644.

6. Ian. 1644. pecuniis, quas a priuatis hic velit sume-
re: quas Rex *Magnæ Britanniæ* sit exso-
luturus, ubi domi pacem habuerit, quod
ipse ait futurum intra menses tres. Sed
magnam spem posuerat in Rege Daniæ,
cuius res nunc eo sunt loco, vt non
sit ei otium aliena curare. In *Anglia*
Carlilius, & cum eo alii, minus apud
Regem honorati, quam sperauerant,
ad *Parlamentarios* defecere: crebris,
vt in ciuili bello, transfugiis, ait *Taci-*
tus. *Hamiltonius* & amici eius putan-
tur collusisse cum *Scotis*, & passos se
damnari, vt eo ipso fidem nacti apud
Regem arcana eius explorarent. *Papa*
duos nouos fecit *Cardinales*; alterum
Baliuum Valenceum, Gallum gente, qui
ipsi militat; alterum *Iesuitam*. Saba-
da non vult suas res Galliæ commit-
tere; sed ipsa per suos sua agere in con-
uentu *Monasterienſi*. *Episcopus Basili-*
ensis tutelam implorat Heluetiorum.
Dux *Bulionius* obtinere hic non potest,
vt tanquam Princeps Imperii tractetur.
Spes faciendæ pecuniæ hic sita est in
nouis dignitatibus erigendis, & in terri-
tandis, ut magno se redimant, iis, qui
pecunias publicas tractarunt. *Harcur-*
tius in Anglia, de pace inter Regem
& Parlamentum constituenda pæne de-
sperans, de fœdere renouando & au-

gendo

gendo cum Rege acturus est, vt qui- 6. Ian.
dem hic dicitur. Deus, Illustrissime 1644.
Domine, Excellentiæ Vestræ det
omnia prospera. Lutetiæ VI. / XVI. Ianuarii
cIↃ IↃC XLIV.

Excellentiæ Vestræ
inseruire paratissimus
H. Grotius.

P. S.

Historia, quam impressam mitto, scripta est & ad me missa a *filio*, *) qui apud *Bauaricos* captus est in *Dutlingana* clade, & ibi adhuc retinetur. Scribit mihi idem filius, valde consternatos esse *Bauaros*: credo, ob incursum nostrorum in *Holsatiam* & vicina. Imperator *Turca* a *Venetis* repetit mancipia bis mille, quæ in Cretam se receperant. *Regina* Regens hic iubet inquiri diligenter in eos, qui frumentum exportarunt. *Barbarini* volunt in armis manere, vt, vbi hic Papa morietur, alium faciant suæ

*) Pro quo liberando scripsit pater ad Electorem epistolam 1639. nomen ei Diderico. Fuit in filiorum triga natu minimus, olim Ducis Bernhardi Vinatiensis puer nobilis.

6. Ian. 1644. factionis. Id paci maximum est impedimentum. Princeps *Thomas* re-
13. Ian. 1644. stitui vult Duci Sabaudiæ ea, quæ *Galli* in *Sabaudia* & tractu *Pedemontano* tenent. Galli offerunt, se *Pontem Staræ* nudaturos munimentis: Sibi retinere volunt *Pinarolum*, *Demontium* & *Segusionem*; reddere cætera. Rebus *Pictonum* compositis per remissionem operum, quæ ibi erant, cohortes eunt in *Cataloniam*. Dux *Carolus* dicit, se in armis habere XII. millia: multum pecuniæ Hamburgi, Venetiis, & alibi. *Mombasonia* & *Castellonouanus* propius *Lutetiam* accedere dicuntur. Parturit aula septem nouos *Duces*, & *Pares Franciæ*. Sed opponit se Parlamentum, ne honos multitudine vilescat. Dux *Aurelianensis* & Cardinalis *Mazarinus* nouas scribunt cohortes.

Præsent. Minden 22. Ian. 1644.
Puf. l. 15. §. 57. fin.

VII.

Illustrissime Domine!

13. Ian. 1644. Varia sunt iudicia & affectus varii, super re tanta, qualis est irruptio nostrorum in *Holsatiam*, *Iutiam* & loca vicina. *Angli* Parlamentarii lætius hunc nuntium

um accepere, quam Rex & Regii: qui inde maiora et certiora, quam aliunde, auxilia exſpectabant. *Bataui*, vt mercatores ſolent, ex quauis occaſione lucrum captantes, vellent *Regem Daniæ* eo adigi, vt arces, compedes freti *Oriſundæ*, ipſis cuſtodiendas tradat, donec hæ procellæ deſæuierint. *Galli* vero ſatis aperte oſtendunt, hæc ſibi diſplicere, partim quod metuant, ne, armis Suedorum verſis in partes ſeptentrionaliores, quibus & quantis de cauſis ipſi non curant, vires *Imperatoris* & *Bauari*, forte & *Hiſpani*, dum *Bataui*, deterris (parum) ſolliciti, mare, vnde Reſpublica ipſorum nata eſt, cupiunt ſibi ſeruare, in *Galliam* incumbant. Præterea *Reſidens*, qui hic eſt a *Polonia*, pridem id agit, vt per Cardinalem *Mazarinum*, amicum veterem, id Gallis perſuadeat, *Suedorum* magnos proceſſus non eſſe ex ipſorum re. Cuius rei iam pridem magna vidi indicia. Quare laudo prudentiam, ita benignam aliis, vt ſibi credita primum bene ponat, hoc præſertim ſæculo, quo fides alibi, & in Gallia maxime, perrara eſt. Gaudebo, ſi de iis, quæ ſciri poſſunt, ſæpe & exacte edocear, vt ad ea ſermones meos componam. Nam multi ad me veniunt percunctatores. Qui hic capti 13. Ian. 1644.

13. Ian. 1644. sunt ex domesticis Ducis *Bellifortii*, non ii sunt, qui quærebantur. Nam consiliorum arcanorum maxime conscii erant *Campio*, & *Belliregardius*, qui euasere. Cardinalis autem *Mazarinus*, tum quod videt atrocia in se suscepta fuisse consilia, tum quod videt errasse se in mittendis copiis trans Rhenum & Danubium, quæ, etsi omnis alia culpa abfuisset, multo erant hostibus impares, credo etiam, quod in *Romæ* gratiam Regni *Suedici* dignitatem omni modo depressit, non bene se habet; in ægritudinem animi tracto corporis consensu. *Francofurti* fama erat, Regem *Poloniæ* irrupisse in *Liuoniam*. *Viennæ* spes est pacis aut induciarum cum *Suedis*; alia negotia & propiora habentibus: & id suadere *Gallassius* dicitur. *Austriæ* ordines dant Imperatori 15. millia librarum. Dux *Bauarus* auget copias suas. De hybernis certant inter se *Hatzfeldius*, & *Merciacus*. Videtur autem *Bauarus* minus minusque de Gallia sibi promittere, eoque magis se adiungere *Austriacis*. Dux *Lotharingus* multa collecta pecunia ex tractu *Magontiacensi* & *Franconico*, nunc cis Rhenum se retulit, & cöactis *Treuiris* conferre ipsi LXXX millia Thalerorum Imperialium, inde in Leodicum parat suos mit-

mittere. *Veneti* Legati, qui antehac ad primum ingressum aulæ Duci a Principe non solebant, nunc multum rixando obtinuere, dari sibi comitem Ducem *Elbouium*. Sunt enim Veneti in iis, que ad honorem pertinent, supra alios anxii. *Landgrauiæ* supra promissum data sunt CCCC. librarum Francicarum millia ad augendos delectus. Millio pecuniæ per mulas mittitur hinc ad resarcienda cladis acceptæ mala. Manent dissidia inter Ducem *Anguianum* & *Guisium*. Cardinalis *Mazarinus*, præter equestres, nunc & pedestres custodias sibi circumdat, viuitque in magno metu. Nobilitas *Pictonia*, quæ ad subleuandam plebem coïerat, discessit; sed ita, vt inter se pepigerint redire, si plebs non subleuatur. Parlamentum *Parisiense* in id laborat, vt creatio nouorum Ducum & Parium differatur, vsque dum Rex sit suæ tutelæ. Misit hic *Melos* ad permutandos captiuos. „ *Tolo-* „ *sæ* multæ mulieres, tanquam *malefi-* „ *ce*, comburuntur: quod sæpe fieri „ solet, vbi factiones sunt in aliqua vr- „ be. “ Non placet hic *Valencæi* promotio in Cardinalitiam dignitatem. Dux *Aurelianensis* vulgat se iturum cum exercitu in fines *Belgicos*, adiutore *Milleraio*. Sunt & in *Picardia* & alibi se-

13. Ian. 1644.

13. Ian. 1644. ditiones, vt in populo mobili, & regimine infirmo. In *Languedocia* pro *Barberinis* miles ſcribitur. Spargitur hic rumor mulcendæ plebi de rebellionibus *Americanorum* contra *Hiſpanum*. Addam his rebus, ita me cenſere, tempus eſſe oportunum, fœdus aliquod faciendi inter *Regnum Suediæ* & *Batauos*, vbi Legati Gallici diſceſſerint, ſatisque apparuerit, quo tendant eorum conſilia. Deus, Illuſtriſſime Domine, Exc. Væ. det omnia proſpera. Lutetiæ XIII. Ianuarii XXIII. Anni cIↃ IↃ c XLIV.

Exc. Veſtræ

inſeruire paratiſſimus

H. Grotius.

P. S.

Fama hic eſt, præfecturam *Ruſcinonis*, quæ non ita pridem fuit Regum Galliæ, ſe parari a præfectura Cataloniæ: Abbatem *Piuenum*, qui omnia poteſt apud Ducem *Aurelianenſem*, deſtinari Cardinalatui: Ducem *Aurelianenſem*, vbi ad exercitum ibit, vſurum opera *Milleraii*, cui cum principe *Condæo* ab controuerſias pecuniarias de *Riceliaca* ſucceſſione male conuenit. Ea res & quod *Regina* quotidie cum Duce *Aurelianenſi* & *Cardinali* conſul-

fultat, male habet Principem *Condæ-* 13. Ian.
um: & controuerſia inter Ducem 1644.
Guiſium & *Coliniacum*, cui Dux *An-*
guianus non obſcure fauet, nondum
componitur. *Uxor* Ducis *Bulionii*,
non eis adfecta honoribus, quibus
ſperauerat, hinc abire vult: quæruntur rationes eam demulcendi. Præter iam captos ob cauſam Ducis *Bellifortii*, quæruntur & alii, & dicitur præſidium a Regina mitti *Anetum*, vbi eſt Dux *Vendocinenſis*, ad explorandas eius actiones. Parlamentum *Reginam* regentem monuit, vt hoc tempore, tam graui, liberalitatibus ſuis parcius vtatur. Multi per hanc vrbem nobiles equitant cum Piſtolettis: Quod ſignum eſſe ſolet factionum. Dicitur Rex *Portugallicus* magnam parare claſſem ad tuendam oram maritimam: Alias naues mittere in Indiam Aſiaticam & Sinas: augere exercitum nouis octo millibus. Inter eos, qui in ditione ſunt Papæ, & Etruſcos commercium reſtituitur; quamuis manente bello. *Barbarini* ab oppugnatione montis *Colonioli* repulſi ſunt.

Præſent. Minden 25. Ian. 1644.
Puf. l. 16. §. 1.

VIII.

Illustrissime Domine!

20. Febr. 1644. Sicut mandata auide exspecto, secundum quæ de rebus contra *Daniæ* Regem susceptis hic loquar; ita facile credo, non omnes (rationes) tales esse, quas hoc tempore vulgari ex vsu sit, ne, qui consiliis *Danicis* immixti fuere, videntes, ea non latere, aperte in causam descendant. *Residens* a *Polonia*, qui hic est, homo *Italus* & Cardinali *Mazarino* amicus, ait, si pergant nobis res in *Dania* succedere, periisse & *Poloniam*, & religioni Romanæ summam imminere labem: quodsi *Suedi* per matrimonium *Brandoburgicum*, præter oram maritimam, etiam *Iuliacensis* successionis terras obtinuerint, non longe eos a Gallico fine abfore. In *Gorini*, Legati hic Angliæ, ad Reginam Angliæ literis & hoc erat, non debere Reginam veteres vestes abiicere, priusquam habeat nouas. Id vero hic Regina Regens, cum *Gorino* colloquens, ita interpretata est, suadere eum Reginæ ac Regi Angliæ, ne ab *Hispanica* amicitia recedant, dum in incerto est, quid a *Gallia* sit exspectandum. Fuit autem *Gorinus* nuper Carentoni, ibique apud eius Ecclesiæ ministros testatus est, Regem

suum,

ſuum, quicquid rumores dicant, ſem- 20. Febr.
per fore *defenſorem fidei* & religionis 1644.
reformatæ. Sed hoc illi dictu, quam
aliis creditu, fuit facilius. Quas e *Ba-*
tauis accepi literas, eæ me docent,
multos, qui ibi in ſumma re verſantur,
optare, vt hoc tempore fœdus inter
Suediam & *Batauos* ex gentis vtriusque
commodo fiat. Quibus autem id ve-
lint conditionibus, id optime nouerit
D. *Spiringius*. Legati *Gallici* adhuc
tempus in Batauis terunt. Dux *Caro-*
lus videtur militum ſuorum partem vel-
le collocare in Colonienſi agro & *Iu-*
liacenſi. *Haſſi* ſpeculantur aliorum exi-
tus. Claſſis, quæ ad *Gades* aduenit,
portaſſe dicitur partim Regi Hiſpaniæ,
partim mercatoribus, XII. ſcutatorum
milliones. *Motta Odincurtius* videtur
non diu futurus, in quibus eſt, parti-
bus, qui propinquus eſt *Noyerii*, & cre-
ditur earum eſſe partium, quæ ſunt
contra Cardinalem *Mazarinum*. Pax
in *Italia* ita præcocta eſt, vt adpro-
bationem tantum *Papæ* exſpectet, qui
in vltima vitæ meta eſſe creditur. Lex
proponitur, vt Caſtrum & alia bello
capta reddantur: *Mutinenſis* lites, quas
Romæ habet, breui definiantur. Ne-
que tamen, vt maxime pax fiat, Itali
Principes dimiſſuri ſunt copias. Et con-

tra

20. Febr. 1644. tra *Barbarini* aduerſus fortuita ex *Viterbio* & aliunde militem Romam aduocant. In pace, quæ proponitur, & hoc eſt, vt nouæ molitiones deſtruantur, vtque Dux Parmenſis reditus perſoluat earum ſummarum, quas ibi *Montes* vocant: & vt Regina Regens Galliæ pro Duce Parmenſi veniam a Papa expetat. Rex *Hiſpaniæ*, ſiquid humanitus huic *Papæ* eueniat, non vult veniri ad electionem noui Papæ, priusquam omnes terrarum ſui Imperii Cardinales aduenerint: & largitiones facit ad triginta millia ſcutatorum ad emercanda ſuffragia. Regina *Angliæ*, proxima partui, corpore preterea tabido, iuit *Briſtolium*, vt ibi partu leuetur: voluitque, ſi vitam finiat, corpus ſuum in *Galliam* reportari, ne *Puritanis* ſit ludibrio. Regis *Angliæ* res non optimo ſunt in loco. Nam & copiæ eius, quæ ad *Nampthuichum* erant, cæſæ fuſæque ſunt, captis Regiorum mille & ſeptingentis; & Scoti ſupra XX. millia in via ſunt ad *nouum Caſtellum*. Princeps *Robertus* Palatinus factus eſt a Rege Angliæ *Dux Comberlandiæ*, & eo nomine locum ſuffragium-que habebit in Parlamento, quod Rex conuocare conſtituit; ſed ob certas (cauſſas) id diſtulit. Interim, qui apud Regem ſunt, proceres ſcripſere ad Parlamen-

lamentarios, qui *Londinii* sunt, & eos ad concordiam inuitarunt. Illi pro responso misere fœdus cum Scotis factum. lidem autem *Scoti*, quod viderent, incusari se, quasi qui pauperes ipsi ex Angliæ opibus se vellent pascere, edidere scriptum, in quo eam culpam a se amoliuntur; staturos se dicunt fœderibus; de Rege verba faciunt honorifica, maximum vero prædicantes studium suum, pro pura, vt eam vocant, religione. Princeps *Thomas* breue abiturus hinc videtur, vt bellum in regionibus ad *Padum* gerat. *Galli* circa *Geneuam* militem colligunt. In *Heluetiis* idem facere volunt; sed obiiciuntur moræ a gente discordi, tardigrada, lucri cupida. *Bauaricorum* pars maxima ad *Rithlingam* est. *Ioannes Waertius Constantiæ, Hailbrunnæ, Cellæ,* necessaria ad bellum victumque congerit. Marescallus *Vicecomes Turenæ* partem suorum maximam ad Remiremontium adhuc habet; partem in Alsatia & locis superioribus. Dux *Carolus* opima recipit tributa: ad solius *Mottæ* defensionem LXX. vicis plusquam opus est conferentibus. Pater *Vincentius* ex eo ordine, qui *Missionis* dicitur, qui inter eos fuerat, qui Episcopatuum & Ecclesiasticorum functioni intererat, a Cardinali *Mazarino*, omnia

20. Febr. 1644.

20. Febr. 1644. omnia ad se trahente, demotus est. *Bregiacus*, Parlamenti Adsessor, destinatur in *Suediam* & *Daniam* procurandæ pacis causa. In *Catalaniam* mittuntur Duces & pecuniæ. *Religionis Reformatæ* Delegati, qui hic erant, metu, ne aliquid hic mouerent, iussi sunt ab vrbe discedere. *Mainungam* in potestatem venisse *Hasfeldianorum* (audio). Deus, Illustrissime Domine, Exc. Væ. det omnia prosperrima. Lutetiæ XX. Februarii.

Exc. Vestræ

inseruire paratissimus

H. Grotius.

P. S.

Decem naues longæ *Massiliæ* parantur, totidem Touloni, ad vsus *Catalaniæ*. Verum malus hic rumor est, sed adhuc incertior, de *Catalaniæ* defectione tanta, vt Marescallus *Motta Odincurtius* coactus sit se in *Perpinianum* recipere; Galli milites in *Languedociam*. *Hispani* populati sunt ea, quæ sunt in *Picardia* apud *Feram*. In *Normanniæ* motus sunt, quibus compescendis milites mittuntur. *Espernonius* & *Vindocinensis*, iussi in aulam venire, cauebunt sibi, ne veniant. Hæc non impediunt hanc aulam, quo minus

&

& *Mediolanum*; & omnem circum terram, promittat Princeps *Thomas*. 20. Febr. 1643.

Est hic Legatus a *Genua*: non introiit vrbem, quia non est nactus honores, quos volebat. 31. Mart. 1644.

Imperator dicitur octo millia militum mittere *Hazfeldio* ad opem ferendam *Dano*; in *Austria* autem delectus facere contra *Ragoskium*; Rex Portugalliæ exercitum parare, qui exeat mense Martio, & Galeones ad augendam classem. Publicantur hic rumores semper pro Rege Angliæ: *Scotos* nequisse intrare in Angliæ fines: magnas copias fieri a Principe *Roberto*: Marchionem *Noui Castelli* irruere in *Richemontiam* regionem; Carolum *Lucam* in *Nottingamiam*; *Lugbrauchium* in Darbiam: omnes regiæ partis duces. Hæc ideo hic sparguntur, ne populus ægre ferat, Regem Angliæ a Gallia deseri, præsertim cum & religionis creditur verti negotium.

Præsent. Minden 28. Febr. 1644.
Puf. l. 16. §. 33. fin.

IX.

Est in excusis 1656. Tota hæc epistola propria Grotii manu exarata est, cum 31. Mart. 1644.

31. Mart. 1644.

cum in ſuperioribus deſcribendis vſus ſit ſeruo a manibus.

Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine!

Litteras Excellentiæ Veſtræ, datas XXIV. Martii, recte accepi: pro eis gratias ago, Deumque rogo, vt Excellentiæ Veſtræ aduentus *Osnabrugam* ipſi, reique Suedicæ & vniuerſæ rei Chriſtianæ felix ſit fauſtusque. Quam neceſſariæ cauſæ Rectoribus noſtris ea expreſſerint conſilia, quæ nunc aduerſus Danum tam feliciter procedunt, ſatis intelligo. Puto tamen, e re fore, vt, quæ de eis cauſis vulgari poſſunt, ea vulgentur quamprimum, *ad tuendam æquitatis exiſtimationem.* Ego interim in publico nondum ſum hac de re locutus; tum quia neque literas Reginæ noſtræ ad Reginam Regentem, neque mandata accepi; tum quia neſcio, an, quod forte plurimum ſit valituruum, de *Dani* & *Moſcowitæ* aduerſum nos *coniuratione*, id ex vſu ſit publicari, quamdiu adhuc nobiſcum *Moſcouita* ſpecies manet pacis. Nam bellum vitare cupientibus interdum opus eſt decipi. Exſpectabimus porro, quos ſucceſſus Deus daturus ſit D. *Mareſcallo Hornio* in *Scania* & vicinis locis; D. *Mareſcallo*

Tor-

Torſtenſonio in *Finnia*; *Coningsmarckio* & *Axelio Liliæ* in *Miſnia*; *Duglaſſio* in *Sileſia*; *Rakocio* in *Hungaria*. *Bataui* videntur occaſione certaminis inter noſtros & Danos reponere ſe velle in eum ſtatum, quod ad *freti Oreſundani* vſum attinet, in quo fuere ante annos centum, & *arbitros Regum* ſe facere in rem ſuam. Deus, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine, Excellentiæ Veſtræ ſemper faueat. 31. Mart. 1644. 6. April 1644. XXI. Martii IX. Aprilis cIↃ IↃ cXLIIII.

Excellentiæ Veſtræ ſeruire paratiſſimus obligatiſſimuſque

H. Grotius.

X.

Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini!

Vt ad pacem veniatur, multi multa proponunt. Nonnulli, vt *Pomerania* maneat *Suedis*; Elector *Brandeburgenſis* pro repenſatione accipiat perpetuo iure *Epiſcopatus Bremenſem* & *Halberſtadenſem*; *Bauarus* autem pro iis, quæ in res Imperatoris impendit, fruatur *Salzburgenſi Epiſcopatu*, donec fructus debitum æquauerint, & ſic redda- 6. April. 1644.

6. April 1644. tur omnis *Palatinatus*. Quo vero magis contra *Damiæ* Regem res noſtre procedunt; eo creſcit hic in nos inuidia, per multas artes fouente talia *Polomiæ* Regis *Reſidente*, qui *Legati* titulum ab eodem Rege & Regni Ordinibus ſperat. Cum *Vindocinenſis* maneat extra Regni fines, & in propinquis *Geneuæ* locis ſe teneat; Dux *Bulionius* eo digreſſus, quia de *Sedano* tranſigere nolebat; vtrique autem commercia arcana eſſe credantur cum *Eſpernonio*, qui nullis rationibus induci poteſt, vt in aulam veniat: Proteſtantes autem regni huius, ac nominatim Dux *Lafortius*, filiusque eius, de multis rebus quærantur. Multis præterea in locis ciuitates & Nobilitas non optimo ſunt affectu erga res præſentes, creduntur facile motus poſſe exiſtere: magiſque ego id crederem, ſi *Hiſpano* ea eſſet, quæ olim fuit, largiendi facultas. Dux *Lotharingiæ* etiam nunc *Homburgi*: copias ad *Moſellam* habet: blanditur *Gallo*: nutat *Cæſari*: nictat *Bauaro*, quicum & aliquid ipſi controuerſia eſt de militum ſedibus ad Rhenum. Inter *Romam* & oppoſitum fœdus, ſublato illo certamine de vocibus aut qualitatibus, pax tandem facta creditur, non ſine gloria *Venetorum*, qui, dum de pace agitur, hoſtes a *Bondeno* & *Stellata*

lata repulerunt; ceperunt autem ipſi *Bondenum* & alia ad *Ferrariam* loca. *Bauarus Traumenſdorfium* a gratia, qua apud Imperatorem valebat, depuliſſe dicitur; cum *Hiſpano* autem agere de tradendis ipſi pluribus in *Palatinatu* locis. *Epiſcopi*, qui *Arnaldi* librum probauerunt, ſubiiciunt ſe *Papæ* iudicio. Vniuerſitas autem *Louanienſis*, ſcripſit vniuerſitati Pariſienſi, ne damnetur *Ianſenii* ſententia. Inter Cardinalis *Mazarini* & Ducis *Longouillani* comites pugna fuit. Sed ei certamini ipſi ſe non immiſcent. Et *Cardinalis*, vt potentiam & ſecuritatem ſuam oſtentaret, his diebus cum *Regina*, in eius *Carrucam* receptus, vidit luſtrari milites ad quinque millia in ſilua. *Bolonienſi*. *Catalani*, qui Galliæ res ſectantur, bene de rebus ſuis ſperant: quanquam enim magnæ ſunt *Hiſpanorum* copiæ, putant diffluxuras victus inopia. Ipſi autem a *Narbone* auxilia exſpectant. Præfectus *Mediolani* & Princeps *Thomas* feſtinant alter alteri arenam præſcribere, in qua belletur. Mareſcallus *Turenæ* in comitatu incepit oppida exigua capere, *Veſulam*, *Baumam*, *Lixolium*, & arcem *Meſſiæ*. At *Lamottæ* præſidiarii apud *Triſoloram* duas turmas Gallorum *draconianorum* diſiecere. A *Falcoſteinio* abie-

6. April. 1644.

6. April. 1644. re *Hiſpani*, metuentes hoſtium ſuperuentum. De Duce *Bauaro* manet ſermo, conſilia eius in *Briſacum* dirigi. Habet autem ingentes copias. Præfectus *Francodaliæ*, ſuſpicax, vt ſolent eſſe *Hiſpani*, Ducem *Zimmerium* monuit, vt a *Crucenaco* vellet diſcedere. Ab *Vberlinga* paulum retro ceſſit equitatus ad quærenda pabula; pedites vero ſe ad oppugnationem mœnium parant. Ad bellum e Gallia gerendum ad finem Belgicum magna vis commeatuum confertur *Ambianum*: quinquaginta machinæ in eas vectantur partes: milites eo tendunt. Dux *Guiſius* voluntarius erit miles Duci *Aurelianenſi*. *Gaſſio* ad *Reteliam* eſt. *Chauniacum*, *Vitriacum*, *Sancti Deſiderii* oppidum, plena militum. *Melos* parat ſe, vt exercitum in aperto habeat Maii initio. Qui ex *Hiſpania* literas cambii ferebant, hic per tempus aliquot retenti ſunt. Ea res moram iniecit rebus. A *Francofurto* hæc diſcimus: *Hazfeldium* collectis e *Franconia* copiis in *Thuringiam* ire. *Rakoczio*, ideo quod profiteatur, ſe pro libertate Religionis & auiti per Hungariam regiminis arma capere, paucos eſſe Hungarorum, qui ſe opponant; quamquam inuitatos ad id Imperatoris edicto, qui nulla ferme illis in partibus ha-

habet oppida, quibus fidat, præter quæ Germanorum ſeruantur præſidiis. Sperari tamen pacem & *Viennam* iiſſe præfectum, qui a *Caſſouia* exiit, cum conditionibus quibusdam a *Rakoczio*. Duodecim millia militum ab Imperatore miſſa ad tutandos *Auſtriæ* fines. Eas autem, quæ in *Bohemia* fuere, cohortes procedere, vt impediant, ne cum *Rakoczio* ſe coniungat *Duglaſſius*. *Gotzium* adhuc *Wollauiæ* imminere. Sed omnes hos Imperatoris milites ita ad omne genus licentiæ eſſe exercitos, vt nuſquam hoſtes ipſi magis metuantur. Ita fit, vt populi nihil curent, ſub quo ſint domino: quæ res memorem me facit apologi, quem Phædrus olim ſcripſit, Tiberii libertus: 6. April 1644.

Aſellum in prato timidus paſcebat ſenex;
Is, hoſtium clamore ſubito territus,
Suadebat aſino fugere, ne poſſet capi.
At ille lentus: quæſo! num binas mihi
Clitellas impoſiturum victorem putas?
Senex negauit. Ergo, quid refert mea,
Cui ſeruiam, clitellas dum portem meas?

6. April. 1644. Dicebant præterea a *Francofurto* literæ, multum imminuras ſpes Cæſarianorum, ideo, quod *Lamboii* delectus in irritum recidiſſent, cum præſente pecunia, quam ipſe non habebat, contra licitantibus Gallis. Sed eosdem Cæſarianos ſolari ſe, quod putarent, *Suedos* a Gallis abſtrahi poſſe, & *Danum* ſeorſum non facturum pacem, quandoquidem *Electores* rogaſſet, ſcriptis in id literis, ne pacem ſine ſe facerent. *Lipſienſes* in metu fuiſſe obſidionis: nunc aduentante *Coningsmarckio*, prurire illis manus, vt vltro hoſtem impugnent. In *Anglia* belli fortuna nonnihil ad Regios ſe vertit, oppreſſis & ad deditionem compulſis hoſtibus ad bis mille, captis armis multis, machinis duodecim. Etiam oppidum *Lincolnium* eis ceſſit. Refrigerati nonnihil hac clade Parlamentarii, nouas ad Regem de pace conditiones miſere. At *Scoti* ab obſidione *noui Caſtelli* non abſiſtunt. Deus, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Excellentiis Veſtris det omnia proſpera.

Lutetiæ VI. XVI. Aprilis clɔ Iɔc XLIV.

Excellentiis Veſtris

inſeruire paratiſſimus
obligatiſſimusque
H. Grotius.

P.S.

P. S.

Sunt in aula mutationes. *Hautefortia*, gratiosa ante hac apud Reginam, aula eiicitur. *Montresorius*, a Duce *Aurelianensi* eiectus antehac, redit. *Residens Poloniæ* hodie insolito honore carruca Regis & Reginæ in aulam ducitur, beneficio *Mazarini*. Audimus Regem *Hispaniæ* retinere sibi etiam eas, quæ pro mercatoribus venerant ex *America*, pecunias. Inde paratos habere duos milliones ad res in *Catalania* gerendas. In quem vsum ab *Arragonibus* dari noua militum quatuor millia; equos bis mille: a *Valentiæ* regno mulos mille quingentos. 6. April 1644.

Inscriptio:

Illustrissimis Excellentissimisque Dominis, Dominis, Reginæ Suediæ, Gothorum, Wandalorum, summa cum potestate Legatis, D. Iohanni Oxenstiernæ, Reginæ ac Regni Senatori &c. Libero Baroni in Kymitho &c. D. Iohanni Saluio, Aulæ Cancellario &c. Domino in Adesberg &c.

Præsent. Osnabrugæ 17. Apr. 1644. eo venerat Io. Oxenstierna d. 27. Mart. 1644. Puf. l. 16. §. 34.

XI.

8. Iun. 1644. *Illustrissimi & Excellentissimi Domini!* Præuideo futurum, vt sint, qui de me querantur, tanquam *morosо circares honorum.* Nunquam tali fui ingenio. Sed difficultates mihi obiectæ sunt maximæ, dum *Galli* & ita sentiunt, & persuadent aliis, non eosdem deberi honores *Regno Suedico*, quos regno *Galliæ*, *Hispaniæ*, *Angliæ*, & dictum mihi a multis est, nunquam me obtenturum, quod volo. Itaque varia comminiscuntur crimina, quibus me oppono, quantum possum. Vsus est hoc commento *Riceliacus*, vt aut amicitias mihi abrumperet, aut cogeret me facere, quæ decora minus arbitrarer. Vbi huc venit D. *Cerisantes*, aditum ad *Reginam* Regentem secundum mandata impetraui: obtuli ei meam operam deducendi eum ad Reginam, sicut a Regibus suis missos Legati solent deducere: recusauit. Antequam ego ad Reginam Regentem irem, præcucurrit ad Cardinalem *Mazarinum*, eius gratiam captans; quam & ego habere potui, siquid de dignitate Regni concedendum, & moribus eius morem gerendum existimassem. Vellem de singulis talibus habere præscripta, qualia Legatos alios scio habuisse. Cum non habeam, & longe absim ab iis, quorum

rum in me poteſtas eſt, cogor interim ipſe conſtituere id, quod mihi videtur æquiſſimum. Apud *Reginam* Regentem dixi ea, quæ mihi iniuncta erant: quæ re ipſa congruunt cum iis, quæ dixeram accepto Reginæ noſtræ ad ſuos populos edicto. Præcipue autem oſtendi, rem *Galliæ* in hac re verti, quod Rex *Daniæ* aperte hoſtibus noſtris nauaret operam, ac proinde inter eos eſſet, contra quos conceptum eſt fœdus: Deinde, nec cum Gallis *Suedi*, nec cum Suedis *Galli* aut *Bataui*, Galliæ ſocii, habere commercia, niſi damnoſa, poſſent, ſi Regi *Daniæ* liceat exigere, quantum velit, ſicut fecit hactenus; & hanc cauſam communem eſſe nationum omnium. *Reginæ* itaque Regentis ad huius cauſæ proſecutionem & auxilia & conſilia poſtulaui. Cum Regina nihil niſi communia illa, quæ dici ſolent, reſponderet, dixi, adituram me eos, qui ipſi a Conſilio eſſent: idque faciam, præſertim comitem *Brynnium*, quem Regina poſthac etiam ante aditum ad ſe compellari voluit. Dabo operam, vt cognoſcam, quæ ſint hac de re hic potentium cogitata: qualem hac de re pacem velint cudere. Id quidem apparet, velle eos, vt a controuerſia Danica quouis modo

8. Iun. 1644.

li-

60) o ( )o( )o( )o

malo domita, accipiat leges ab Imperatore. Cæsarianos omnes plenos esse bonæ spei. Bauaricum quendam militarem architectum ostendere rationes, per quas intra tres menses *Hohentwilæ* rupes disiici possit. Mareschalli *Turenæ* exercitum, nisi Dux *Anguianus* se ei coniungat, nihil aliud acturum hoc anno, quam vt tutetur Rheni ripam. Ducem *Carolum* Wormatiæ esse ægrum animi & incertum, quo consilia vertat. Augescere mœrorem ex absentia *Cantacroyæ*, quam a se seposuit, vt pareat Papæ. *Hispani* ex Palatinis terris ad *Beckium* iuerant. „ Multa ignis cœlestis prodigia territant *Germanorum* „ animos.“ *) Regis Angliæ res non optimo est in loco. Est *Oxoniæ*; quam vrbem circumueniunt magnis copiis hinc *Essexius*, inde *Wallerus*. Regina *Excestriæ* se tenere non audens amplius, *Bristolium* dicitur concessura, aut ante, aut post partum. Spes aliqua Regi est in auxiliis, quæ ex Hibernia exspectat. Audimus, Poloniæ Regem 8. Iun. 1644.

*) Nec ipse intactus ea religione. Scribit enim append. ep. 691. ad fratrem: Incendium illud in ecclesia aulica aliquid mali Caluinismo videtur portendere. Nec tamen fuit Germanus.

8. Iun. 1644. gem multum laborare, vt pax fiat inter Imperatorem & *Rakoczium*. A Portugallis cæsos audimus Castellanos trecentos: exustos vicos quatuordecim. Et quidam rumor hic est, a Mareschallo *Turenæ* cæsa duo equitum millia eorum, qui sub Mercio erant. Accessi iam nunc Principem *Condæum*, eique dicenti, multos hic dolere, quod Danico bello distentus *Torstensonius* nec *Rakoczio* se adiungere, nec in Germania res gerere posset, ostendi, non ex animi lubitu, sed ex summa necessitate, sumta hæc arma contra bellum diuturnum, hactenus & occultum, &, ni Suedi præuenissent, erupturum multis eo partibus. Ostendi, vires nobis agendi in Germania ademtas, minacibus Dani dilectibus, & erepto omni ex commercio externo questu. Rem Galliæ & omnium nationum in eo verti, ne Rex vnus de omnibus vectigalia exigat, quanta vult, sortem totam, vbi voluerit, absorptura. Suedos non alienos fore a pace, dum securitas ipsis constet, & fœdera antiqua, & gentibus omnibus commercia cum Suedis. Dixit, rem sibi cordi fore. Addidit, optare se, vt *Cardinalem* videam: neque in eo dignitatis esse periculum: posse enim eum adiri, non vt Cardinalem, id est, Papæ assessorem, sed vt

Mini-

Miniſtrum Reginæ Galliæ. Ego vero quamquam in eo ipſo viderem periculum, quod Miniſter Regis Galliæ Legatos aliorum Regum non ex æquo aſpiceret, nihil aliud reſpondendum duxi, quam penes me id non ſtare: paritu-rum me præceptis. Princeps *Condæus*, vt eſt eruditus, etiam ſermonem (occepit) de graui controuerſia, quæ nunc agitatur in vnam partem ab Ieſuitis & Monachis; in alteram ab Epiſcopis & Sorbonicis, ſuper pœnis Canonicis. 8. Iun. 1644.

„ Dixi ego, ita me arbitrari cum Car-
„ dinali *Groppero*, veram cauſam diſſi-
„ dii, quo Eccleſia diuulſa eſt, eſſe, quod
„ apud eos, qui Romam reſpiciunt, di-
„ ſciplina Eccleſiæ non laxata ſit, ſed
„ plane exſtincta: Eam debere reſtitui
„ degradationibus in Epiſcopos & Preſ-
„ byteros male viuentes: excommuni-
„ cationibus & aliis ſatisfactionibus in
„ eos, qui, cum laici ſint, in illis crimi-
„ nibus deprehenduntur, quæ Chriſtia-
„ nos dedecent: Hac re curata facilio-
„ rem fore viam ad concordiam. Ob-
„ iicienti, múltos *nobiles* nihili facturos
„ *diſciplinam* Eccleſiæ eam, quæ ſit fu-
„ tura deſpectui; reſpondi, eos, qui diu
„ excommunicationem contemnerent,
„ poſſe a Rege coërceri, præcluſo ad
„ honores ac iudicia aditu, modiſque

„ ali-

8. Iun. 1644. „ aliis: quorum adferebam exempla. „ Ad alterum, quod dixeram, vtile fo„ re, ſi etiam in ſecretis criminibus ab„ ſolutio differretur vſque ad impleta „ pœnitentiæ tempora, obiecit, medio „ tempore a morte poſſe aliquem inter„ cipi. Reſpondi, ei rei prouiſum a „ Synodo *Nicæna*, quæ præcipua nor„ ma eſſet gubernandæ Eccleſiæ, vt, qui „ intra tempora pœnitentiæ periculoſe „ ægrotarent, acciperent abſolutionem, „ ſed ea lege, vt, ſi a morbo euaſiſſent, „ pœnitentiæ tempora ita implerent, „ quaſi abſolutionem adepti non eſſent. „ Cum & hoc probaret; rogaui eum, „ vt in negotio, ad purgandos mores „ & ad reddendum Eccleſiæ nitorem „ tantopere pertinente, pro ea aucto„ ritate, quam ipſi natales & merita „ darent, laborare vellet. " Deus, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Excellentiis Veſtris det omnia proſpera.

Lutetiæ VIII. XVIII. Iunii cIↃ IↃC XLIV.

Excellentiis Veſtris ſemper ſeruiturus

H. Grotius.

P. S.

Quæ præter ſupraſcripta hic in vulgus iactantur, hæc ſunt. *Mottam Odin-*

cur-

curtium cum XII. militum millibus miliaribus Hiſpanicis quatuor a *Leri-da* abeſſe, vt liberet eam vrbem obſeſſam a vicies & ter mille militibus; defenſam vero a Gallis quater mille; a Catalanis bis mille. Captas ab eo ducentas & ſexaginta mulas, onuſtas victu & pecunia. In *Pedemontanis* locis nihil agi; ſed inter Pontificem & Ethruſcum ſuper pactorum interpretatione nouas naſci controuerſias: Ducem *Bulionium* cum ſua vxore eſſe *Romæ*. *Beckium* cum Germanicis quibusdam & Lotharingicis copiis ad X. millia ire ſubuentum rebus *Flandriæ* laborantibus. Ducem *Anguianum* breui habiturum apud ſe XV. militum millia, & coniuncturum ſe cum Mareſcallo *Turenæ*. Inter illas Anguiani copias eſſe milites egregios in *Leodico* nuper conſcriptos. Prætorianos equites & pedites, partim *Peronam*, partim ad caſtra ire circum *Grauelingam*. Eam defendi a militibus ter mille; a ruſticis & inhabitantibus bis mille; & abundare rebus ad bellum neceſſariis. A *Melone* partem exercitus poſitam *Borborgi* ad incommodandos, qui *Grauelingam* obſident; partem miſſam ad prohibendos conatus Princi- 8. Iun. 1644.

8. Iun: 1644. pis *Arauſionenſis*. *Bauarum Hohentwilæ* obſidionem aggreſſum, ſpe, aliquos, ibi qui ſunt, poſſe pecunia corrumpi. Scribuntur hic nouæ cohortes. Comitiſſa *Sueſſionenſis* adhuc ægrotat & exſpectat filiam Principi *Thomæ* nuptam. Parlamentum omnibus ferme edictis pecuniariis moras obiicit.

P. S. 2.

Mortua iam nunc eſt Comitiſſa *Sueſſionenſis*. Miſſus in carcerem nothus Cardinalis *Guiſii*, qui conſiliorum *Bellifortii* particeps creditur.

Conueni & Comitem *Bryennium*, & dixi eadem, quæ Principi *Condæo*: addidi, non alienam fore *Reginam Suediæ* a pace, dum ſecuritas & fœdera antiqua conſtent regno, & Gallis gentibusque aliis ſua Commercia; multumque eam tributuram *Reginæ* Regentis conſiliis. Cum diceret, doluiſſe huic aulæ, quod de conſiliis Suedicis contra Danum non fuiſſet edocta, reſpondi, neceſſitatem belli vndique non permiſiſſe id moræ. Cum id late expoſuiſſem, dixit, *Reginam* Regentem hac in re labora-

tu-

turam ad pacem talem, qualem Suedia desiderare posset, suaque consilia cum Suedicis coniuncturam. Laudaui hoc, ostendique, id conuenire fœderibus & vtilitati publicæ. Nam si id maximum & belli prosperi & pacis honestæ impedimentum auferatur, multo nos facilius id consecuturos, quo nos ducunt fœdera. „ Cum in sermone „ protracto quereretur nonnihil „ de disputationibus inter Legatos, „ qui in Germania sunt, *Suedici* „ *Franciæ*que Regni, & multum „ hoc regnum præferret cæteris, „ dixi, quod dicere debui: Reges „ iure imperii pares esse: Regnum „ *Suedicum* historiarum testimonio „ ante bis mille annos: & cum pu„ taret, exiguum esse regnum, di„ xi, patere id in XVII. gradus „ Eleuationis Poli, in XXIII. ab „ æquinoctiali circulo ductos: „ quod mirabatur. " Intellexi ex ipso, D. *Cerisantium* per amicos multa contra me machinari. Solabor me conscientia facti officii. 8. Iun. 1644.

Præsent. Osnabrug. 18. Iunii 1644.

XII.

*) Est n. 1681. sed sine Postscripto.

Excellentissime & Illustrissime Domine!

28 Iul. 1644. Credo ego quidem, Imperatorem bellum hoc, quod inter Suedos & Danos enatum est, suam putare occasionem, ideoque eum, ob spem, quam habet res suas promouendi, minus, quam optandum sit, properare ad pacem. Sed nec minus verum est, eos, qui rerum in Gallia potiuntur, pacem nolle. Cuius sui consilii causas habent nec leues, nec obscuras. Bene ergo eis cadit, quod propositi sui fiunt compotes, inuidiamque rei in hostem reiicere possunt: quamquam apud æquos homines non laudatur acerbitas ista literarum, quas ad Imperii Ordines Legati Gallici scripsere. Contra probatur Suedorum scriptio, quæ res per se satis asperas non vltra modum accendit verborum asperitate. „ Gaudeo, ve-
„ nire istuc D. *Lampadium*. Vir est pru-
„ dens, bonus, eruditus. Poterit & ille
„ & si qui ab Electore Brandenburgico
„ ven-

*) Iterum tota manu Grotii exarata.

„ venturi ſunt, dare conſilia ad præ- 28. Iul.
„ cidendas pacis moras. Cæterum vt, 1644.
„ qui iſtuc venturi ſunt, ſpeciem per-
„ ſonamque Imperii totius ſuſtinere
„ poſſint, vix ſperabile eſt, cum maior
„ pars Conuentus Francofurtenſis rem
„ pacis Electoribus tractandam vna cum
„ Imperatore permiſerit. Si tamen ali-
„ quorum animi per has diſputationes
„ ab Imperatore abſtrahi poterunt &
„ velut vexillum erigi, ad quod concur-
„ rant, quibus aliqua manet cura Germa-
„ nicæ libertatis, erit id e re noſtra. “
Si Danica controuerſia per Gallos Ba-
tauoſque Legatos componi non pote-
rit, putem nihil in eo mali fore, ſi de
ea agatur Oſnabrugæ & Monaſterii, ob
cauſas a me dictas antehac. Re tamen
cœpta eſt quod gaudeamus, ſperemuſ-
que maiores progreſſus. Videntur ex-
ſpectanda alia prælia naualia, cum, quæ
pugnata ſunt hactenus, nihil magni aut
his aut illis contulerint. De poſtremo,
quo fugiſſe Danos ſatis conſtat, magis
certa magiſque ſpecialia exſpectamus:
vt &, quid facturus ſit Gallaſſius, quid
noſtri contrá Gallaſſium. Deus hæc
omnia ad bonum & Suecici & com-
muniter orbis Chriſtiani dirigat, idem-
que, Excellentiſſime & Illuſtriſſime Do-

28. Iul. 1644. mine, Excellentiam Veſtram protegat.
XXVIII. Iulii
VI. Auguſti cIↃ IↃ c XLIIII.

Excellentiæ Veſtræ perpetuo ſeruire obligatiſſimus paratiſſimuſque

H. Grotius.

D. *Ceresantem*, cum primum ad me venit, benigne & honorifice excepi. Volui eum deducere ad Reginam Regentem, ut moris eſt: noluit. Dixit *Comes Brulonius* ei, ita fieri debere: reſpondit, nihil ſibi mecum eſſe commune. Idem dixit in Batauis apud multos, & hic *Comiti Bryennio*. Cum apud me pranſus eſſet, & poſt prandium ſoli eſſemus diu; nihil mihi dixit de iis, quæ egerat apud Cardinalem, Principem & alios. Quare cum me rerum ſuarum participem non faciat, æquum eſt, ne ego illum mearum. Accedit, quod, cum peſſimo hic in me propoſito venerit, vt ex multorum relatu cognoui, iure metuo, ne, quæ a me audiet, referat corrupta atque diſtorta: quod eum facere ſolere intelligo. Quare ita iudico, non poſſe me tuto, neque honeſte, eius uti conſuetudine. &c.

In-

Inſcriptio.

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino, Domino Iohanni Oxenſtiernæ, Reginæ Regnique Suedici Senatori & ſumma cum poteſtate Legato &c. Libero Baroni in Kymitho &c. 28. Iul. 1644. 3. Aug. 1644.

Præſent. Oſnabrug. 7. Aug. 1644.

XIII.

Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini!

Die Iouis Regem & Reginam Regentem vidi valentes ambos: Regem ſupra, quam fert ætas ſexennis, corpore & ingenio præſtantem. Gratulatus vtrique ſum de *Grauelinga*. Dixi ex hiſtoria vetere & noua, quæ rei conuenire videbantur. Addidi quædam de rebus noſtris contra *Danos*. Ad quæ nihil Regina Regens. Tantum hoc teſtata eſt, non dubitare ſe, quin res ſuæ proſperæ gaudium Reginæ noſtræ adferrent. Cauſas belli *Danici* fuſius, quam ante explicatas, quas e Suedia acceperam, vt hic recudi facerem, omnes compellaui librarios: nemo eſt, qui id ſuſcipere audeat, ſine permiſſu, quem 3. Aug. 1644.

5. Aug. 1644. a Cancellario Franciæ impetrare non possunt. Itaque de duobus transmissis ad me exemplis, alterum mihi ad memoriæ subsidium retinui; alterum dedi Comiti *Bryennio*, vt *Secretario Status ad res externas*, edocendo ipsi, & per ipsum aliis, de iustitia, imo necessitate horum armorum. *Grauelingæ* munimenta ita cuniculis machinisque & oppugnandi defendendique artibus confusa perturbataque sunt, vt sesquimestri tempore futurum sit opus ad ea reponenda. Interim *Gassio* dicitur mari ire ad Principem *Arausionensem*, qui castellis aliquot captis Saxo *Gandauensi* imminet, & *Piccolominæi* exercitum in se trahit. Potuerat de *Dunquerca* cogitari, nisi iam Dux *Anguianus* se iunxisset cum Mareschallo Vicecomite *Turenæ*, spe eximendi ab obsidio *Friburgi*, aut, si id ob bene munita hostium castra fieri nequit, inuadendi *Bauariam*. Partem aliquam copiarum ad *Luxemburgicum* finem reliquit. Qui in *Friburga* sunt, & bene se tuentur, & eruptiones faciunt non inprosperas. Dux *Carolus* adhuc obumbrat consilia sua, & rumoribus in partes diuersas materiam suppeditat. Mitto leges deditæ *Grauelingæ*, pares Atrebatensibus, etiam in eo, quod *Protestantes* ibi viuere non sinun-

finuntur. *Ilerda* dicitur defendi adhuc, & ſpes aliqua eſſe eius liberandæ per exercitum XV. millium, qui eſt ſub *Motta Odincurtio*. Ad *Hohentwilam* obſides vtrinque dicuntur redditi: exitus inde difficiles fieri. *Bauaricus* peditatus imminui fame & transfugiis. In Italia Galli dicuntur *Spinum* oppugnare. Eum locum, quod tutamen ſit *Finalis*, auctum præſidio mille hominum ab *Hiſpanis*; *Serauallem* vero mille Germanis & quingentis, cum multo victu & belli paratu. Princeps *Thomas* *nihil* videtur hoc anno facturus magni; quamquam manet adhuc rumor obſideri ab eo *Aronam*. *Heluetii* in omnibus his rebus ſatis ſe medios gerunt. Cæſareæ Mauritanicæ, quæ *Algeria* dicitur, prædones naues aliquot eripuere *Hiſpanis*. *Elbouius* cum leui manu apud *Guiſam* eſt. *Granceius* præficitur *Græuelingæ*. Inter *Millerarium* & *Gaſſionem* ſimultates ſunt, niſi quid amplius. Lis, quæ fuerat inter Ducem nunc *Mantuanum*, & inter Ducis eius, qui fuit, filias, ita definita eſt, vt Dux terras in Gallia ſitas *Niuernenſis* ſucceſſionis habeat; Virgines autem duæ reditus ex iis terris ad libras Francicas ſexaginta mille. Procuratores Parlamenti emanent a curia ideo, quod tributum nouum eis impo- 3. Aug. 1644.

3. Aug. 1644. nitur. Sunt & motuum semina in *Delphinatu* & ad *Burdegalam*. Dux *Longouillanus* it in *Normanniam*. Ad Ducem *Anguianum* mittuntur nouem cohortes nouæ, & vna vetus *Albreti*; quatuor autem millia ad custodiendos *Lemouices* & loca vicina: machinæ multæ ad tuendam Grauelingam & oppugnanda castella quædam apud *Borburgum*. A *Francofurto* quæ discimus, hæc sunt: Neque literas neque commeatum tuto vltra peruenire a *Vienna* ad eum, qui sub *Gotzio* est, exercitum; sed mandatum *Bouchamio*, vt viam sibi faceret, obuiam sibi itura parte Gotziani exercitus: verum periculum ei esse ab Agricolis, infestis Imperatori. Apud *Saros* partem Cæsariani exercitus, quæ erat in agmine vltimo, concisam a *Rakoczianis*. A *Bassa* autem *Offensi* dari spem Cæsarianis, fore, vt *Rakoczius* ex illis partibus abeat, simul ac Imperatoris Legatio venerit *Constantinopolim*. Hispanos, qui *Francofurti* sunt, magnas flare *Dani* victorias: spes ingentes de *Gallassio*. Cum in Conuentu, qui *Francofurti* adhuc manet & mansurus videtur, in manibus deliberatio esset super literis Legatorum e Gallia, ostendisse Legatos Austriacos, quantum Imperatori semper pax cordi fuerit, sed semper

interiecta a Gallis impedimenta, præci- 3. Aug.
pue vero anno cIↃIↃcxxx. Iure qui- 1644.
dem posse reuocari tuti itineris tabulas aduersus eos, qui tam procaciter contra imperatorem scripsissent; sed Imperatorem hoc solo contentum fore, si ostendant Imperii Ordines, eam, quæ capiti facta est, iniuriam ad corpus totum pertinere. *Bauaricorum* Legatorum sententia fuit, retrahenda omnia literarum illarum exempla, & remittenda Legatis Gallicis, cum exprobratione proteruiæ, & alieni a pace animi. Idem sensere *Burgundici*. Modestiores alii, si quid Imperator pro se aut Domo sua querendum haberet, non esse impediendum: cæterum Principes & Ordines Imperii ita fractos bello, vt nullas nisi de pace promouenda cogitationes suscipere possint. Quidam etiam proponunt, non abs re fore, si corpus Ordinum permittatur se miscere pacis negotio, iis in locis, vbi id tractatur. Sed an hi numero superaturi sint cæteros, dubitatur. Dux *Neoburgicus* dicitur multum excitare Ciuitates, vt ius suum defendant. Venio ad res Anglicas, malas sane Regi. Ingens enim accepta est clades, & Princeps *Robertus* a *Nouicastellio* & aliis, qui mari Hamburgum se recepere, reus fit consilio-

rum

3. Aug. 1644. rum audacium magis, quam prouidorum. Post hanc cladem *Eboracum* deditum Parlamentariis. *Oſweſtria* & *Shropſira* exempta Regiorum obſidio: ab Eſſexio captum oppidum *Taumtonum* & vicina quædam. A *Bruno* Londinienſi Greenlandia ad Thameſim. Princeps *Robertus* dicitur incendio arcium ſe vlciſci in vallibus *Couerdaliæ*, *Wensdaliæ*, *Swendaliæ*. *Neucaſtellius* a conſilio militari regio damnatus deſertionis crimine. Parlamentarii cum Hibernis bellum ita gerunt crudeliter, vt nemini vitam indulgeant capto. *Regina Angliæ* recens a puerperio, ægra corpore, humero ſiderata, in *Britanniam Armoricam* apud *Breſtum* adpulit. Petiuit hinc medicos, & videtur itura ad *aquas Borbonias*. Miſſus eſt a Regina Regente, qui ei occurrat, primum *Souuræus*; deinde *Comes Harcurtius*. Si huc veniat, arceri ab arcanis cum Regina Regente colloquiis non poterit. Omnia conabitur, vt in Germania, ſi pax nondum poteſt, induciæ fiant, & ope Regum, ad quos exemplum hoc ſpectare videtur, Rex maritus in ius ſuum reſtituatur, cuius nunc ſpes omnes partim Hibernos, partim externos reſpiciunt. Et certe metuunt multi, ne aura iſta libertatis trans mare huc perueniat. Deus hoc gu-

gubernet, idemque, Illustrissimi & Excellentissimi Domini, Excellentiis Vestris det omnia prospera. Lutetiæ III. Augusti cIↃ IↃ C XLIV. XIII. 3. Aug. 1644.

Excellentiis Vestris inseruire paratissimus obligatissimusque

H. Grotius.

P. S.

De pace agitur inter Regem Angliæ & Parlamentum per *Batauos* magis, quam per *Gallos*. In *America* Angli, secuti exemplum originis, diuisi in Regios & Parlamentarios, magna clade affecti sunt ab Americanis.

Vidi cum gaudio & admiratione Ill. Dominum *Baronem Oxenstiernium*. Non dicam de eius ingenio; iudicio supra ætatem, & summis virtutibus, quæ dici debent; sed tacitus intra me æstimationem hanc reseruo.

Arcem *Satiranæ*, rem non magni momenti, captam non longe a *Bremo*, Galli, vt sua solent, pro magno æstimant. Galli, qui *Zinquæ* sunt, cepere arcem *Gueningam*, sibi vicinam. Legati *Castellæ*, *Portugalliæ*, *Batauorum*, plane Parlamento, quod est *West-*

mo-

9. Aug. 1644. *monaſterii* apud *Londinium*, eos honores detulere, quos ipſi voluerunt. 17. Aug. 1644. *Sabranus* a Gallia reſidens adhuc ea in re tergiuerſatur.

Vidi hic præluſtrem D. *Baronem Oxenſtiernam:* quanto cum aſpectu viderim, non poſſum verbis exprimere, cum omnia Patri eius debeam virtutibus eius & ingenio (tribui) plurimo, etiamſi beneficium tam magnum abeſſet. Vtinam diutius hic ei, vt meretur, inſeruire potuiſſem. Nihil in vita mea mihi accidiſſet dulcius. Nunc cum vltra ire inſtituerit, nihil opto magis, quam vt vita mihi eouſque duret, vt in filio, cum redierit, monſtrare poſſim, quantum Patri me debere ſentiam & libentiſſime profitear.

Præſent. Oſnabrug. 7. Aug. 1644.

XIV.

*) Eſt n. 1686.

Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine!

17. Aug. 1644. Significationem ad Cæſarianos, quam accepi cum literis Excellentiæ Veſtræ, datis XI. Auguſti, vt hic dies numeramus, dedi Typographo, per quem iam mox in lucem prodibit. Laudo & ſcriptum & vulgandi conſilium. Ego quidem,

*) Manu Grotii ſcripta.

dem, quia vehementer opto, pacem con- 17. Aug.
tingere populis tam diu miseris, speraui 1644,
hactenus, omnes eos, quorum res in manu est, collaturos ad tantum bonum, quicquid suæ est facultatis. Putabam etiam ex multis causis Hispanum eo ferri. De Imperatore dubitaui. Nunc vero tot ac tanta video argumenta adferri, cur is credi debeat malle bello frui, quam pacem dare & accipere, vt non segniter id omnibus sim apertum facturus, & æquis hominibus facile, vt confido, persuasurus. Deum interim *orans*, in cuius manu sunt corda Regum, vt ea in partem mitiorem flectat, vtque cum Danis, qui ineuitabilem Suedis armorum necessitatem indixere, res minimo cum sanguine transigatur. Bataui in ea re videntur fore cordatiores, quam fuere hactenus. Ego eos, qui illis in locis mea consilia non spernunt, incitare non desinam, vt occasionem hanc fronte capillatam arripiant. Excellentiæ autem Vestræ, Illustrissime & Excellentissime Domine, omnia opto prosperrima. Lutetiæ $\frac{\text{XVII.}}{\text{XXVII.}}$ Augusti cIↃ IↃC XLIIII.

Excellentiæ Vestræ

perpetuum seruiturus ut debeo

H. Grotius.

XV.

XV.

Scripsit eodem die privatim Oxenstiernæ: N. 1704.

Illustrissimi & Excellentissimi Domini!

16. Nov. 1644. Didici ex *Status Consiliario* contrarium eius, quod ex D. *Dauausio* intellexeram, iam viuente adhuc Cardinali *Riceliaco* ita innexam fœdere *Galliam* cum Rege Regnoque *Portugalliæ*, vt, nisi eis comprehensis, pacem facere non possit. Addebat is, ex quo hæc didici, quendam collegam suum his diebus ea de re egisse cum Cardinali *Mazarino*. *Catalanis* itidem promissum, ne pax fiat, nisi ipsis sub imperio Gallico manentibus, scimus ex ipso fœdere, quod multorum est in manibus, nec tam clam habetur, quam illud cum *Portugallis*. Velint Galli etiam cum *Batauis* facere, ne aut pax, aut induciæ, nisi communiter, fiant. Cum vero non ita fractæ sint vires *Hispaniæ*, vt credi possit aut iure in *Portugalliam* abstitura, aut *Catalanos* relictura *Gallis*, vt iam de *Batauis* nihil dicam; videtur Cardinali *Riceliaco* id fuisse propositum, ne pax vnquam fieret: vnde & moriturus nihil magis Regi commendauit, quam belli persecutionem.

nem. Cum vero Cardinalis *Mazarinus* 16. Nou. *Riceliaci* vestigiis ferme per omnia insi- 1644.
stat, bellum præterea & tutiorem eum præstet, & multas det rei faciendæ commoditates; dubitare cogor, an pacis negotium serio a *Gallis* tractetur, an vero prætextus quærant, per quos pacis, quam ipsi non volunt, tardandæ inuidiam in hostem declinent. Quodsi bellum in Germania duci etiam e re est *Suedica*; non habeo, quod contradicam. Sin vero *Suediæ* aut pax est vtilior, aut in aliis locis bellum; sollicitus sum, quem res sit habitura exitum, *Suedia* quidem Galliæ adiuncta: *Gallia* vero ipsa per tot nexus impedita, ne ad pacem perueniat. Sed cum ego omnes negotii istius recessus non nisi coniectura assequar; totum hoc Deo imprimis, deinde & eorum, quibus hoc commissum est, prudentiæ relinquo. Papa ita res inuenit ab *Vrbano* exhaustas atque obæratas, vt a cauillatoribus dicatur *Papatum accepisse sub beneficio inuentarii*. *Camillus* Cardinalis futurus dicitur. *Finale* accepto præsidio extra metum a Gallis est. Hispanorum in *Catalania* exercitus, quem Hispani vulgant esse peditum sedecies mille; equitum quinquies mille; sed Galli multo minorem esse contendunt; dicitur ire contra *Sal-*

 so-

16. Nou. *ſonam* oppidum, quod non multum ab-
1644. eſt a *Barcinone*. *Harcurtius* morbo, an rebus nondum paratis, hic detinetur, & magnus eſt metus, ne *Catalani* fidem mutent, qui & *Barcinonem* habent in poteſtate & fauces illas, per quas, ſi velint, Gallis reditum in *Languedociam* poſſint præcludere. In Germania arx *Crucenaci* adhuc contra Gallos defenditur. Cepere Galli arces quaſdam: inter eas *Oberſtenum*. Dux *Carolus* magna tributa exigit ex *Eierfeldia* & *Meierfeldia*. Copiarum eius maxima pars ad *Mozellam* ſe habet, nondum cum *Glenianis* coniuncta, & ne id facile fiat, miſſus in *Hondsruchiam Roſa* cum tribus equitum millibus. Qui autem Gallorum circa Francothaliam fuerant, inde digreſſi, ſunt impedituri Bauaricos, ne *Bingam* capiant. *Hochſta* Bauaris dedita, nono menſis huius. *Hatzfeldius* autem, Bauaricis ſeiunctus, videtur ire, vt cum *Gallaſſio* ſe iungat. In *Hibernia* ab *Onealio* cæſi dicuntur *Scoti* octingenti; a *Præſtono* autem Hiberno Pontificio obſideri arx *Duyanana*, amni *Kilkeno* adfita. Regina Angliæ diu petiit, vt Proteſtantibus, quales ſunt plerique de familia eius, liberum ſit religionis exercitium in *Lupara*; ſed nihil obtinuit amplius, quam vt eis liceat coniunctim

Deum

Deum precari. *Mottam* in *Lotharingia* audimus obsideri a Gallorum sex millibus; defendi a Lotharingicis mille & quingentis. A *Francofurto* discimus, eos, qui ibi sunt, coniugium *Reginæ nostræ* cum *Electore Brandeburgico* habere pro re facta, nisi quod Legati *Brandenburgici* non nisi parce de ea re loquuntur. *Austriaci* vero præ se ferunt gaudium eam ob rem, & ex ea spem bonam pacis cum *Suedis*, etiam nolentibus *Gallis*. Iidem *Austriaci* ostendunt, se pacem cum *Rakoczio* sperare, vt *Gotzianis* copiis aduersus Galliam vti possint. *Bauarus* quoque, diu multa antehac locutus de eximenda *Franconia*, *Sueuia*, *Bauaria*, ex Gallorum consensu, quod iam aliquibus allubescere cœperat, acceptis a *Vienna* auxiliorum promissis, mutauit sermonem, & ad *Monasterienſe* colloquium se vertit, eo suos missurus: quod eius exemplo dicuntur facturi & alii Principes. *Bauarici* bona præsidia habent *Stolhouiæ*, *Manhemi*, *Germshemi*: *Ringauiam* vastant: pontem naualem ponunt apud *Bingam*. *Hatzfeldius* per *Fuldam* transierat. Non videtur futurum, vt *Monasterii* in vnum locum conueniant Legati Reipublicæ *Venetæ* & Legati *Electorum*. Nolunt enim *Electores* ei Reipublicæ postponi; quanquam

16. Nou. 1644.

16. Nou. 1644. Respublica *Veneta* decreto Imperatoris se prælatam contendit. Sed puto, concursum talem posse vitari. Audimus etiam ab Imperatore nouos milites scribi in terris hereditariis. Deus, Illustrissimi & Excellentissimi Domini, Excellentiis Vestris det omnia prospera.

Lutetiæ XVI. XXVI. Nouembris cIↃ IↃ CXLIIII.

Excellentiis Vestris
inseruire paratissimus
(nominis subscriptio per incuriam omissa.)

P. S.

Regina Angliæ, vt supra attigi, plurimos in familia sua habet *Protestantes*. Pro iis obtinuit, vt liceret iis preces collectim ad Deum facere in *Lupara*. Plus libertatis pro iis impetrare non potuit, obstantibus Edictis semper obseruatis, ne in hac vrbe aut aula Regis alia religio exerceretur, quam ea, quæ præualet. Parlamentariis res satis succedunt feliciter. Nam & *Thinmuthum* cepere & *Leuerpolam*, & sperant breui se habituros oppidum *Carlilam*, arcem *Basinam*, & *Beluerium*, in cuius valle vulgant a se concisos Regiorum equites sexcentos; pedites trecentos. Rex *Oxoniam* redierat: copiarum

eius

eius pars maxima erat apud *Wodſto-* 16. Nou.
kum. Multum prædicant Regis & 1644.
Principis *Roberti* fortes animos ipſi 29. Dec.
aduerſarii. Creditur prælium immi- 1644.
nere, ſi Rex ſeruare volet arcem *Du-*
ningtonam, quæ & ipſa obſidetur a
Parlamentariis. *Motta Odincurtius*
huc reuocatur. Scribunt contra eum
Catalani. *Merciacus* apud *Ladenbur-*
gum, *Heidelbergam*, & *Weinhemum*
maximam habet copiarum partem:
pars Lotharingici militis in Flandria
non longe a Gandauo. Spargitur hic
rumor, de quo nihil affirmem, parari
claſſem in *Gallia* viginti longarum
nauium; aliarum XXXII. *Melitenſes*
magnam prædam fecere, capta Ga-
lione *Turcica*. In *Italia Hiſpani* eti-
am nunc apud *Alexandriam* ſunt, vt
Gallorum conatus obſeruent.

Præſent. Oſnabrug. 27. Nou. 1644.

XVI.

Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini!

Regina Regens *Mottam Odincurtium*, 29. Dec.
qui pro Gallia *Catalaniam*, & qui ibi 1644.
erant, exercitus rexit, iuſſit, cum ad au-
lam accitus veniret, capi in vrbe *Lug-*
duni, & in arcem, quæ ibi eſt, detrudi.

29. Dec. 1644. Fama eſt, eum huc duci, ſiue vt ſupplicium ferat culpæ, ſi ea bene comperta eſt; ſiue vt longa captiuitate ſedet animos *Catalanorum*, valde in ipſum accenſos. Hoc exemplo territus Marchio *Chaumontius*, vt credo, huc non veniet. Eſt enim eius cauſa peior illa *Odincurtii*. Nam cum mandata haberet impediendi, ne Pamphylius fieret Papa; non modo pecunias in id ſibi miſſas ſibi retinuit; ſed & alias eſt ſtipulatus magnas, vt illum Papam fieri ſineret. Galli, qui ad ſuperiora ſunt Rheni, *Crucenaci* arcem cuniculis & puluere bellico ita impetunt, vt iam dicant agi de deditionis conditionibus: deinde ſe ituros contra *Francothaliam*. *Bauarorum* equitatus in Franconia eſt; peditatus in locis inde non longe: quæ res Electorem *Magontiacenſem* coëgit, omiſſa diſputatione de conditionibus inter ipſum & ciuitatem Francofurtenſem controuerſis, in eam vrbem ſe recipere. *Motta* in Lotharingia a Gallis non tam obſidetur, quam caſtellis circumpoſitis ita premitur, vt aditus exitusque habeat difficiles, & eius cuſtodibus eruptiones quædam minus bene ſucceſſerint. Cum Papa nuper Eccleſiam ſuam adiret Epiſcopalem, id eſt, *Lateranenſem*; multum clamauit populus, petens annonam faci-

faciliorem, & leuamenta tributorum, 29. Dec.
quæ *Barbarini* induxerant. A Cardina- 1644.
libus duobus, qui res Imperatoris tu-
tantur, & a Legato Imperatoris rogatus
Papa, vt pacem procuraret; non hoc
tantum in se recepit, sed & permisit Im-
peratori, vt milites ter mille conscribe-
ret in terris, quas *Ecclesiæ* vocant, nem-
pe contra *Rakoczium*. Scribunt autem
multi, Papæ non placere consilium illud
in *Polonia* susceptum de *colloquio*, quod
metuat, ne ea res, si succedat, mul-
tum imminuat eam potestatem, quam
extra Canones sibi arrogant iam pridem
eius decessores. Et certe pari olim de
causa Nuncius Papalis abrupit colloqui-
um *Possiacum* in Gallia. In Italia Prin-
ceps *Thomas* in vrbem *Taurinorum* &
contra Præfectus Mediolani in eam vr-
bem recessit. Multum dubito, an ve-
rum sit, quod hic vulgatur, in *Catala-
nia* apud *Claretum* cæsos sexcentos mi-
lites; captos trecentos. Comes *Har-
curtius* in illas partes ire non vult, nisi cum
magno exercitu & apparatu, parum fidens
Catalanorum valde mobilibus animis.
Ex *Constantinopoli* literæ, sine scriptæ
Septembris, nunciant *Parthenium* vi pe-
cuniæ, quæ multum in illa aula valet,
demotum a *Patriarchatu*, relegatum in
insulam Rhodum; suffecto illi altero

29. Dec. 1644. *Parthenio* Adrianopolitano, qui *Caluini* sententiis affinis esse creditur. Legatum Imperatoris, qui ibi erat, quanquam magna attulerat munera, non multum posse. Plus autoritatis fore Legato a *Suedia*; etiamsi absque muneribus veniret. Sed forte quæ ibi agi possunt, Legatus Gallicus sine labore & sumtu Regni Suedici bene expediet. Venit ad me his diebus Dominus Baro *Germanus*, qui in maxima est apud *Reginam Angliæ* gratia, nec minore, quam Cardinalis *Mazarinus* apud *Reginam Galliæ*. Is cum de rebus Britannicis multa apud me disseruisset, mihi non incognita, dixit, rumorem hic esse, de quo & ipse audieram, Scotum quendam e *Suedia* venisse *Londinium* cum mandatis faciendi fœderis cum Parlamentariis, ad arcendum inferendumque bellum. Respondi ei, me nihil habere de ea re compertum; sed cum *Suedia* causam curet communem libertatis commerciorum, non miraturum me, si, sicut *Batavi*, ad tam glorioſi consilii societatem inuitati sunt, non sine bona spe successus, etiam inuitentur Angli, & cum mari nunc plus possint Parlamentarii, quam pars Regi adhærens, fieri posse, vt ad eos istud negotium expendendum deferatur. Quodsi verum sit, id quod Regina Re-

Regens Galliæ dixit D. Gorino, Legato hic Regis Angliæ, Regem Angliæ participem fuisse eorum consiliorum, quæ in exitium Suediæ a Dano, Polono, & Moscouita suscepta fuerant; neminem miraturum, si, præterito Rege, Suedi suas res, vt possunt, curent. Me vero, cum de istis rebus nihil habeam certi, scripsisse in *Suediam* & ad Legatos Suedicos, vt certiora de ea re cognoscam. Adhæc D. *Germanus* ad id, quod dixeram, dici Regem Angliæ cum hostibus Suediæ sua sociasse consilia, nihil certi respondit. Cæterum ostendit, sperare se, vt, si quid cognossem, Reginam Angliæ consciam facerem. Videbimus, quid effecturi sint *Richemontius* & *Suthamptonius* a Rege missi ad Parlamentarios cum nouis conditionibus. Credo, spem Regis potissimam esse positam in spe dissidiorum inter nationes, ingenio discordes, *Anglos* & *Scotos*; inter Ordinem Nobilitatis & plebis; inter eos, qui Episcopos & veterem Liturgiam amant, & eos, qui omnia quærunt noua; inter eos, qui pacem bello & bellum paci præferunt. Gaudeo literis ex *Batauis* me intelligere, ad meliora consilia verti etiam eos, qui antehac obstitere, quo minus ea Respublica vires suas coniungeret cum *Suedia*, ad mare a com-

29. Dec. 1644.

29. Dec. 1644. compedibus *Danicis* liberandum. Non ceſſabo ventilare hanc facem. *Brugius* huc a *Polonia* rediit, rebus, vt dicitur, bene confectis: a Mareſcallo *Torſtenſonio Auangurius*, nuncios ferens hic pergratos. Duo, qui res egerunt Mareſcalli *Odincurtii*, in *Baſtiliam* ſunt coniecti, vt cuncta eius arcana noſcantur. Eſt hic nunc *Synodus Reformatorum*, quorum delegatos mira comitate excepit Cardinalis *Mazarinus*. Dux *Lotharingus* & *Cantecroia* ipſius *Bruxellæ* magno cum honore excepti ſunt. Dicitur anno hoc militaturus *Hiſpano* in Belgicis partibus, militemque hac hyeme collocaturus in *Lutzemburgico*, *Iuliacenſi* & *Cliuienſi* agro. Elector *Palatinus* valde ſe popularem facit *Londinii*; neſcio quaſpe. *Stella*, qui nunc pro Gallia *Argentorati* eſt *Reſidens*, ſcripſit literas ad ciuitatem *Francofurtenſem*, vt, ſi a belli motu velit eſſe immunis, ſe in tutelam det Galliæ. Qui in præſidio ſunt *Francothaliæ* hactenus, ad *Magontiacum* vſque excurrunt. Fama quædam eſt de matrimonio Regis Hiſpaniæ cum Domina *Oenipontana* Principe. Laborat *Gallia* ad componendas diſcordias *Tigurinorum* cum vicinis: Heluetii ad componendas eas, quæ ſunt inter *Rhætos*. Perfecta ſunt munimen-

ta

ta circa *Philippiburgum*. Principes Italiæ, qui contra *Barbarinos* fuere, petunt a Papa, vt ipsorum actus approbet, vt qui nihil moliti sint contra Ecclesiam, aut sedem Romanam. *Castellani* cum quatuordecim millibus esse dicuntur apud *Badaiozum*: *Portugalli* inde non longe apud *Eluam*, sed nihil agere magni. Nauis *Turcica*, quæ a *Melitensibus* fuit capta, machinas habuit sexaginta: præda æstimatur ad *milliones* duos. *Afri* pirratæ apparent in mari inter *Hispaniam Angliam*que. Regis Angliæ equitatus ab excursibus factis *Oxoniam* rediit. Dicunt, qui Parlamento fauent, quatuordecim *Scotorum* millia inuasura partem Angliæ Australem. Sed puto, hæc, vt multa talia, supra verum inflari. Deus, Illustrissimi & Excellentissimi Domini, Excellentiis Vestris det omnia prospera. Lutetiæ anni apud nos ↀIↃ IↃC XLV. die septimo, quem annum Excellentiis Vestris felicissimum precor.

29. Dec. 1644.

Excellentiis Vestris

inseruire paratissimus

H. Grotius.

P. S.

Audimus *Turcam* in *Stiriam* irrupsisse. *Constantiam Pamphyliam*, natam ex fra-

29. Dec. 1644. 4. Ian. 1645. fratre Papæ, nubere Principi *Plombini*. *Bauaricos* multos partim esse ad *Sueuicam* vallem, *) partim ad *Nortlingam*, *Mergenthaliam* & apud *Augustam* & *Vlmam* & in *Bauariæ* finibus. *Sabranus*, *Gallicus Residens*, multum *Londinii* laborat, vt *Galli*, durante ciuili in Anglia bello, ab vtraque parte illacessiti fruantur mari & commerciis.

XVII.

Illustrissimi & Excellentissimi Domini!

4. Ian. 1645. Conuenturus Reginam Regentem, vt eam orarem, curam gereret augendi & quam primum in apertum producendi exercitum Gallicum, qui nunc a Mareschallo *Turenæ* regitur, prius adii, vt Regina Regens ab omnibus Legatis fieri voluit, D. Comitem *Bryennium*, eique, expositis rebus magnis a D. Mareschallo *Torstensonio* gestis, exposui mea postulata. Ex responso eius cognoui, tardum id fore negotium, quia Germanum militem nouum conscribere volunt ad implendum illum exercitum; Gallis militibus illa loca non amantibus; *Heluetiis* vero semper se excusantibus, vbi aliquid in *Imperii* finibus agendum est; deinde volunt Galli vbertatem pabuli

*) Hallam.

buli expectare, nullo facto, aut exiguo, fœni prouisu. Ostendit idem D. Comes *Bryennius*, vehementer hic desiderari nostram cum *Dano* pacem. *Regina* Regens valde indefinita respondit de suo optimo in *Reginam* nostram affectu. Ita solet. Sed ex D. *Auaugurii*, qui ex castris D. *Torstensonii* huc venit, sermone cognoui, multum hic metui, ne D. *Torstensonii* arma non versus ea loca, in quibus est Princeps *Rakoczius*, sed contra *Bauarum* se vertant, cum quo rursum noua in arcano Galli habent commercia. In *Crucenaco* capto non modicum lucri fecere Galli. Nam & ingentes, vt cœpere, pecunias exigent de Transrhenanis locis, & itinera illis in partibus Cæsarianis & Hispanis versus Belgicas partes turbabunt. Mareschallus *Turenæ Catzenellebogiam* pro Landgrauia *Hassica* exigit a *Darmstadensi*, & triginta millia Thalerorum Imperialium, aut pro illis mille equos. *Imperator* miserabilem plane epistolam scripsit ad Ducem *Bauarum*, vt ab eo rebus suis afflictis subsidia adipiscatur. Itaque mouent se versus partes laborantes *Waertius* cum equite; cum pedite *Merciacus*. Creduntur & ex Hungaria copiæ venturæ in Germaniam aut Bohemiam, vt res tulerint. *Saxonici*, qui 4. Ian. 1645.

4. Ian. 1645. qui sunt in conuentu *Francofurtensi*, (nam is etiam nunc durat) consentiunt, vt Electores aut eorum Legati eant *Monasterium*. *Bauarici* iam isti itineri se dedere. Videtur autem non tantum Electorum, sed quasi conuentus quidam Imperii totius futurus *Monasterii*. Hæc *Francofurto* nunciantur. Ex D. *Bryennio* etiam hoc intellexi, Gallicæ partis Cardinales adhuc laborare *Romæ*, ne ex Papalibus terris miles Imperatori mittatur, qui vti in potestate erit Imperatoris, possit non contra *Rakoczium* mitti, sed contra Gallos & Suedos, & illorum amicitiam labefactare, hos autem hostes facere *Papæ*. Attamen ex Italia scribitur, non tantum tria millia militum a Papa ventura Imperatori; sed alia præterea decem millia ab aliis Italiæ Principibus, excitante eos, vt credibile est, Papa. Didici etiam ex D. *Bryennio*, Residentem perpetuo aliquem ex Gallia apud Reginam nostram futurum. Videri autem primum ad id munus exercendum fore Baronem *Rorteium*. D. *Cerisantes* aditum postulauit ad Reginam Regentem & Reginam Angliæ. Responsum ei est, missum eum ad res *Danicas*; nullas visas literas, quæ ei *Residentis* munus imponerent; quodsi id esset, tamen non eius esse agere, quæ

Le-

Legatus agere velit. *Crucenacum* dedi- 4. Ian.
tum est Gallis XXVI. Decembris. Non 1645.
fecit pro ea arce seruanda, quæ potuit,
Dux *Lotharingus*, qui equitatus sui par-
tem ferme alteram misit in Flandriam.
Glenii copiæ tenues scribuntur esse inter
Confluentes & *Aldernacum*; sed inde di-
cuntur ire in *Iuliacensem* agrum. *Ba-*
uarici in *Franconia* maxime; partim ad
Hallam Sueuicam & *Augustam*. *Fran-*
cothalia ita vndique a Gallis premitur,
vt tandem in ipsorum manus ventura
credatur. Pars Gallorum hyberna ha-
bet apud *Trarbachium* & *Bernocastellum*.
Audimus, Imperatori etiam concessam
pecuniam aliquantam ex fructibus bo-
norum Ecclesiasticorum in regno *Nea-*
politano. *Gallos* quosdam in hybernis,
minus caute se tenentes, *Hispani* male
habuere, tum in Catalania, tum in Ita-
lia: hic Hispani ex *Finali*; illic ex *Tar-*
ragona. Nouus Legatus ab Imperato-
re Constantinopolim mitti dicitur. *Er-*
fordienses præsidiarii *Lauuingam* oppi-
dum irrupere. Cardinales *Harachius*
& *Sabaudus* dicuntur a Papa mitti ad
pacis negotium. Cardinalis *Antonius*
in periculo est, ne reus fiat. *Heluetii*
Pontificii cum *Mediolanensi* Præfecto
noua quædam pacta fecere. Ipse autem

Præ-

4. Ian. 1645. Præfectus, preſſus pecuniæ inopia, deſiderat in Hiſpaniam redire. Ad obſidendam *Mottam* Lotharingiæ, puluis bellicus, globi & alia neceſſaria venere a *Nanciaco*: veriti ſunt, qui agros colunt, quicquam obſeſſis conferre. Sed ob tormentorum ictus ex *Motta* paulo longius a vallo oppidi conſederunt Galli. Manent induciæ inter Ducatum & Comitatum *Burgundiæ*. Princeps *Condæus* inde huc rediit. Abiit iam familia & cuſtodes corporis Comitis *Harcurtii*. Ipſe Februario menſe ſequetur. Contra eum imperium habiturus dicitur *Leganeſius*. Pleſſiacus *Pralinus* Legatus erit pro Gallia *Romæ*. Rex Angliæ, dum *Londinii* per ſuos de pacis conditionibus agit, ſperauit dolo capere *Plimuthium*, Readingam & loca alia. Princeps *Robertus* in auſtralia Angliæ ſe inferre dicitur. A *Baſingami* obſidione depulſi Parlamentarii. Poſtquam hæc ſcripſeram, vidi Ducem *Aurelianenſem*, eique commendaui negotium ad Rhenum, facturus idem proximis his diebus apud Principem *Condæum* & Ducem *Anguianum*, qui nihil magis deſiderat, quam redire ad eum exercitum, & eo quam validiſſimo vti. Deus, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Excellentiis Veſtris

det omnia prosperа. Lutetiæ IV. XIV. Ianuarii cIↃ IↃ C XLV. 4. Ian. 1645. 11. Ian. 1645.

Excellentiis Vestris

inseruire paratissimus

H. Grotius.

P. S.

Pedites quidam a *Napoli* missi sunt in Hispaniam. Romæ Galliæ insignia ablata sunt ædibus Cardinalis *Theodati*, qui secundus erat *Galliæ Protector*. Dicuntur hic Hispani reiecti ab obsidio *Elvæ* in *Portugallia*, &, quo maior sit *Portugallorum* gloria, dicuntur *Hispani Castellani* fuisse ad tredecim peditum; tria equitum millia.

XVIII.

Illustrissimi & Excellentissimi Domini!

Vidi Principem *Condæum*, atque ei commendaui negotium de augendo & quam maturrime in apertum producendo exercitu, qui est ad superiora Rheni. Ostendi, quanta eius filium, D. *Anguianum*, inde maneret gloria, si aut tam bene inchoatas a se res feliciter proueheret; aut Germanos, per se pacem de- 11. Ian. 1645.

11. Ian. 1645. siderantes, sed ingenio tardos, ad pacem impelleret. Promisit, se in hac re facturum, quæ posset, tum Galliæ, tum Suediæ, tum filii sui causa. Germanus miles apud *Argentoratum* legi incipit: qua in vrbe *Stella* multum prædicauit sincerum Galliæ studium in restituenda Germaniæ libertate: quod vnum præmium tot laborum expensarumque ab ea spectari. Ibit *Francofurtum*, dicturus similia: & ad alias vrbes, vbi se tuto futurum putabit. *Francofurtensis* Conuentus nondum discessit. Literæ a D. *Seruiano* illuc missæ, lectæ non sunt; sed mittuntur ad Imperatoris aulam, vt is præiudicet. Magna ad omnem ripam *Danubii* est trepidatio, ob nostrorum prosperas successus. Creditur autem *Darmstadiensis Landgrauius*, quam poterit diu, obstiturus libertati Landgrauii *Friderici*, vt ea ratione facilius ex sua spe finiat controuersias *Marpurgenses:* quando is Princeps in domo *Casselensi* solus est, qui ius suum non abdicauit. *Merciaci* copiæ ad Halbrunam erant, præter partem non magnam, quam sub Sporckio ad Hadsfeldium miserat. Marescallus *Turennæ* ad *Magontiacum* rediit. Qui *Philippiburgi* in præsidio sunt, ibi continentur, nec excursus faciunt, nempe ne exercitui

cæ-

cætero auferant alimenta. Constituit 11. Jan.
Magontiacensis Elector respondere ad 1645.
literas, per quas ad colloquii locum in-
uitatur. Marchio *Sanctichaumontius*,
qui dicitur Sedem Apostolicam pretio
addixisse, huc reuocatus, ne eat, aduo-
catum sibi sumpsit podagram, attestan-
te ipso Pontifice. Sicut Galli arcem
quandam in via ad *Censium* ignibus cor-
rupere; ita fama est velle Hispanos *Bre-
mum* solo æquare, priusquam a Gallis
capiatur. Regi Hispaniæ multa propo-
nuntur matrimonia, *Oenipontanæ, Man-
tuanæ, Mutinensis, Florentinæ:* præter
eas, quæ sunt in Gallia & alibi. *Bar-
barinis* non succedit imploratio opis
Hispaniæ. Magno fulmine ex arce *Va-
ticana* illa domus percutitur. Ex *Ba-
palma* Galli egressi pœnas Hispanis de-
derunt. Hispani vero, cum gelu freti
Wattam oppugnare vellent, reiecti sunt.
Intelligimus, Ducem *Bauarum* callide
& apud Imperatorem, & hic in Gallia
conditiones proponere, per quas sibi
consulit, & apud Imperatorem, cum
superioris Palatinatus possessionem vide-
at titubare, petere eum aut XL. *millio-
nes*, bello impensas, aut, quas ante hac
habuit, ad *Onasum* terras. *Turcam* au-
tem in limite Hungarico multum sua
augere præsidia: Rempublicam *Vene-*

11. Ian. 1645. *tam* clam multa facere in gratiam Imperatoris: cæsos *Portugallos* mille ad *Talaueram*: Iactare *Bauaricos*, habituros se vere proximo XIV. millia hominum, præter eos, quos Imperatori aut commodarunt, aut sunt commodaturi. Austriæ Ordines paullum aliquid conferre ad tantas Imperatoris necessitates, ducenta & quinquaginta millia Florenorum, equites sexcentos; quater mille modios frumenti. Varie hic differitur de milite, quem scribere dicitur Elector *Brandeburgicus*. Deus, Illustrissimi & Excellentissimi Domini, Excellentiis Vestris det omnia prospera. Luretiæ XI. XXI. Ianuarii cIↃ IↃC XLV.

Excellentiis Vestris

inseruire paratissimus

H. Grotius.

P. S.

Vidi & Ducem *Anguianum*. Laborat ille quidem, vt exercitus ille augeatur, ad quem ipse iturus est; sed ante menses duos non putat id effectum iri: & sic censent & alii. *Motta* in Lotharingia tam laxe circumsidetur, vt aditus exitusque adhuc sint liberi. In Britannia *Armorica* Ordines haben-

bentur. Sancti *Audomari* & loco- 11. Ian.
rum vicinorum præsidia auxere *Hi-* 1645.
spani. Ducis *Aurelianensis* vxor, fal-
so prægnans credita antehac, iterum
nunc creditur vterum ferre. Le-
guntur milites in Ducatu *Burgundiæ,*
in *Languedocia, Prouincia.* Princeps
Arausionensis equos misit Regi longe
optimos: recepti sunt comiter &
cum gratia. Parlamentarii *Angli* Le-
gatos in Scotiam mittunt, & pecu-
niam ad *Scotos,* qui in *Hibernia* sunt.
Vesuuius mons in *Italia* incipit flam-
mas vomere; quod satis rarum. A-
pud *Ilerdam Hispani,* sed non multi,
a *Gallis* oppressi sunt.

Præsent. 22. Ianuarii 1645.

XIX.

ὁλόγραφος.

Est n. 1723. sed absque Postscripto.

Illustrissime & Excellentissime Domine!

Princeps *Condæus,* absoluto sermo- 11. Ian.
ne, quem apud eum habueram de pu- 1645.
blicis negotiis, cœpit loqui de *Colloquio*
in Polonia super Religione, dixitque, se
in *Germania* vidisse ritus eorum, qui
Augustanæ sunt *Confessionis:* cum mul-

11. Ian. 1645. tis etiam eruditis collocutum. „ Pro certo autem se habere, leui labore illos „ posse restitui in communionem Sedis „ Romanæ & tot populorum, Sedi „ Romanæ adhærentium. Putabat au- „ tem non admittendam Monacho- „ rum turbam, vtquæ, vt nunc se res „ habent, plurimum noceret tum Ec- „ clesiæ, tum Reipublicæ. Mihi autem „ & hoc in mentem venit, audiuisse „ me a Suedis etiam ante hoc diuorti- „ um, quod orbem Christianum exa- „ gitat, tenuem fuisse Romani Episco- „ pi potestatem. Id fecit, vt Taciti „ verba reminiscerer: Laudatorum „ Principum vsus ex æquo: secus pro- „ ximis ingruunt. Sed hæc supra spem „ prope humanam posita moderabitur „ Deus. Interim puto, hominis esse „ Christiani, optare non tantum Prin- „ cipum Christianorum inter se, sed „ & Ecclesiæ pacem. " Deus, Illu- strissime & Excellentissime Domine, det Excellentiæ Vestræ omnia prosperrima.

Lutetiæ $\frac{XI.}{XXI.}$ Ianuarii cIↃ IↃC XLV.

Excellentiæ Vestræ semper seruiturus

H. Grotius.

P. S.

P. S.

Venit & hoc in mentem, si procedat in Polonia Colloquium, arbitrari me, nihil ibi perscribi debere, nisi de quorum aut veritate aut certe sentiendi permissa libertate conuenerit. 11. Ian. 1645. 18. Ian. 1645.

Præsent. Osnabrug. 22. Ian. 1645.

XX.

Illustrissimi & Excellentissimi Domini!

Parlamentum *Parisiense* graues querelas ad *Reginam* Regentem detulit, de frequentibus admodum euocationibus causarum ad Consilium Regium, vbi sæpe res contrariis decretis iactaretur. Regina Regens respondit, sibi iura Parlamenti cordi esse: nec pridem tale aliquid factum. Illi regessere: factum hoc eo ipso etiam die. Et cum alia attingerent, antehac contra leges iudiciorumque ordinem facta; dixit hæc *Cardinalis* pertinere ad tempora *Ludouici* XIII. cuius ita veneranda esset bona memoria, vt eius acta vellicari minime oporteret. Cum vero *Regina* alio tempore (diceret) se posse quasuis pecunias imperare populo, sine Parlamento; 18. Ian. 1645.

18. Ian. 1645. dixit Princeps *Condæus*, id non bene succeſſurum, neque ſe ſuſpectum eſſe debere factionis, qui bona haberet in omnibus Regni partibus, illico amittenda, ſiquid commouiſſet. Eſt hic *Carentoni Synodus Nationalis Reformatorum.* Ab ea impetrauit *Mileterius*, vt quidam delegarentur collaturi ſecum de *Iuſtificatione.* Facta eſt in ſcriptis collatio; nullo cum fructu. Papa non tantum in id laborat, vt Gallos, ſi poſſit, ex Italia amoueat, ita tentato Principe *Thoma*, vt eum Galliæ ſuſpectum fecerit; verum etiam excitat omnes Italiæ Principes ac Ciuitates, vt Regi Angliæ militem aut pecunias mittant. Et dicitur Ethruſcus aliquid promiſiſſe. Miles Gallicus in *Montisferratenſibus* locis grauiſſime plebem vexat. Miſſus, qui de eo querelas in aulam Gallicam deferret, *Bidoſenus*, in itinere, neſcio a quibus, interfectus eſt. Arces *Cutiſſanum* & *Cararam* in regione *Langæ*, Galli, quod ægre defendi poſſent, diſiecere. *Caſimirus*, antequam *Cardinalatum* adeat, ſe *Presbyterum* faciet: ita volente, vt dicitur, *Poloniæ Rege.* Ex *Conſtantinopoli* diſcimus, laboraſſe ibi Legatum Imperatoris, vt pax perpetuo fieret, vt *Rakoczius* iuberetur arma ponere,

nere, vt Latinis reſtituantur claues ſa- 18. Ian.
crorum locorum, quas ab aliquo tem- 1645.
pore Græci tenent. Videtur nihil effi-
cere. Interim ad *Sultanum* perlata ſunt
centum & quinquaginta millia *ſequino-*
rum ex theſauris repertis apud *Tune-*
tum. Forte illi ſunt theſauri, de qui-
bus olim *Ceſellius Baſſus* ſomniauerat
apud *Tacitum*. Audimus LX. Ducato-
rum millia a Neapoli *Mediolanum* mitti:
quater autem mille peditibus; equiti-
bus mille augeri exercitum Hiſpanicum
in *Catalania*. *Beckius* præter *Luxem-*
burgicum etiam *Treuericum* agrum &
proxima *Moſellæ* ſeruat. *Iohannes* au-
tem *Waërtius* bis mille & quingentos,
partim pedites, partim equites dicitur
Hatsfeldio adducere. Dux *Bauarus* in-
terea militem nouum ſcribit apud *Vl-*
mam, *Auguſtam* & alibi. Cepiſſe autem
eius milites dicuntur *Cronibachum* &
Brukfelam. Mareſcallus *Caſtilianæus*
Dominæ *Bouteuilliæ* ex decreto Parla-
menti ſignificauit, ne ea filiam ſuam filio
ipſius nuptum daret, ſine ſuo aſſenſu.
Regina interim eas nuptias promouet.
Duci *Longouillano* conceſſum eſt, vt ſit
de Conſilio *Regiminis*. Ex *Francofur-*
to diſcimus, dure tractari a Gallis agrum
Darmſtadienſem: Cæſarianos aliquid co-

18. Ian. 1645. gitaſſe de recipiendo per glaciem *Philippiburgo;* ſed ſine euentu. Magni in illis locis ſunt rumores de *Turcis*, magna Gallorum pecunia emptis, vt bellum facerent Imperatori, quia *Lintzio* ituri ds credebatur aut *Pragam* aut *Neuſtadium*. Electorem autem *Magontiacenſem* benignis & omnia ad dignitatem ſuſtinendam neceſſaria promittentibus literis inuitat, vt ad ſe veniat, diſſuadente id Capitulo & optante, vt Electori ſibique liceat Gallorum conceſſu a belli actibus & conſiliis abſtinere, quod vt facilius obtineatur, dedit is Electori *Stellæ*, *Francofurtum* venturo, tuti itineris litera. Mittit Ciuitas *Francofurtenſis* Syndicum ſuum ad pacis colloquia. Legatus *Hiſpaniæ* palam queritur de Duce *Bauaro*, quod is, cum ſolus ob ſua commoda pacem hactenus ſit moratus, nunc in arcano cum Gallis noua agitet conſilia. Erat *Mercius Hallæ*, *Sporckius* cum equite in ſuperiore *Palatinatu*; alii equites ter mille apud *Nurembergam*; equi præterea ter mille a ſubditis ſumpti, ad reparanda damna hoc anno facta, ſeuereque vetitum, equos euehere. D. *Seruiani* epiſtola lecta nihil adfert noui. Deus, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Excellentiis Veſtris det omnia pro-

proſpera. Lutetiæ XVIII. XXVIII. Ianuarii 18. Ian. 1645.
cIↃ IↃC XLV.

Excellentiis Veſtris

inſeruire paratiſſimus

H. Grotius.

P. S.

Ex *Anglia* audimus, viginti dies ſumptos, vt de pace agatur inter Regis Legatos, & eos, quos mittent Parlamentarii, Angli & Scoti. Principua eſſe capita de religione, de collatione munerum militarium, de bello in Hibernos. Archiepiſcopus *Cantuarienſis* erat damnatus capitis. Octodecim naues, quæ *Briſtolo* exierant, captæ a Parlamentariis. *Plimuthum* a Regiis premitur. *Monteroſus* Scotiam vexat. In occidentali parte *Britanniæ* Rex habet decem hominum millia. Induciæ in illis locis nullæ. Dux *Carolus* a Centurionibus nonnullis deſeritur. Et ex *Wattena* Galli; ex *Motta* Lotharingi excurſus faciunt. *Hibernorum* duo millia in Britanniam *Armoricam* aduenere, vt Galliæ militent. *Tingi*, vrbs *Mauritaniæ*, quam *Portugalli* tenent, a *Mauris* vicinis oppugnatur. Sunt ii ad

duo-

18. Ian. 1645. duodecim equitum; septemdecim peditum millia. *Hispani*, qui sunt in
26. Ian. 1645. vrbe *Rosarum* in *Catalania*, dicuntur Præfectum suum, a quo dure tractati erant, occidisse. Bis mille *Bauarici* milites sub *Iohanne Waertio* ad *Hatsfeldium* eunt. Arcem *Rudelshemii* in tractu *Darmstadiensi* dicuntur *Galli* velle obsidere.

XXI.

Tota manu Grotii scripta. Est n. 1727.

Illustrissime & Excellentissime Domine!

26. Ian. 1645. IX. XIX. Pro literis Excellentiæ Vestræ datis Ianuarii plurimum debeo, non tantum ob beneuolentiæ testimonia, verum etiam quia ea me docent, quæ scire mea in hoc interest, vt melius fungi mandato mihi munere, & ea, quæ nomine Reginæ nostræ aguntur, possim defendere. Video duo esse, quæ colloquiis de pace moram iniiciant: quorum alterum ad mortuum; alterum ad viuentes pertinet. Spero, Cæsarianos sapientiores fore, quam vt cum laruis luctari velint. Requiem defunctis. Nihil ob id deteriores erunt res *Castellanæ*, si *Bottero* honesta sepultura

ra Suedorum pio officio contingat. 26. Ian.
Postulatum vero pro Stralsunda, vt 1645.
ea ciuitas mittere suos ad colloquia
possit, euidentem habet æquitatem.
Habent enim etiam illæ ciuitates, quæ
sub Principibus sunt, vt Stralsunda,
Rostochium, Wismaria, ius tamen pa-
ciscendi de iis, quæ ipsas ipsarumque
commercia possunt reddere tutiora:
nam & partes fuere Anseatici federis.
Adde, quod nec Ordines Imperii id im-
pediunt, nec Elector Brandenburgicus.
Imo etiamsi illa ciuitas census esset lon-
ge depressioris, tamen licere ei debet,
quod nec priuatis adimendum, vt que-
relas & desideria sua ad talem Conuen-
tum perferre possint. Nam *Adhærenti-
um* nomine comprehendi quosuis, qui
in partibus fuere, docent nos Iurisconsul-
ti, vt Dossius titulo de vnionibus & colle-
gationibus num. 3. multique alii. Nec po-
test id in dubium vocari ab iis, qui voces
istas intelligunt. Gaudeo plures plures-
que aduenire, missos ab iis, qui ius senten-
tiæ dicendæ in Imperio habent. Pridem
vero audimus, moliri id Imperatorem, vt
plenum Imperii Conuentum contrahat
Ratisbonam. Sitne id vsu Germaniæ
& promouendæ paci, illorum est ex-
pendere, quorum res agitur: quos in-
cautos ne salus quidem seruet, Deus,

Illu-

26. Ian. 1645. 14. Febr. 1645. Illustrissime & Excellentissime Domine, Excellentiæ Vestræ & hunc & annos plurimos largiatur plenos bonæ valetudinis ac rerum prosperrimarum. Lu-

tetiæ XXVI. Ianuarii / IV. Februarii cIↃ IↃ C XLV.

Excellentiæ Vestræ

ipsius merito perpetuum seruiturus

H. Grotius.

P. S.

De adhærentibus quod dixi, est & apud Iasonem in *l. A diuo Pio §. 1. D. de Re iudicat.* & clarissime apud Martinum Laudensem tractatu *de Confederationibus, quæstione 27.*

XXII.

Illustrissimi & Excellentissimi Domini!

14. Febr. 1645. Comes *Harcurtius* iam abiit in *Catalaniam.* Dux *Longouillanus* in *Normanniam* iuit; inde iturus, vt putatur, *Monasterium.* Elector *Palatinus* & suis hic Ministris negotium dedit, & alios rogat, vt, quantum fieri possit, impediant, ne Dux *Bauarus* consequatur, vt in hoc bello sibi quiescere liceat. A

Fran-

Francofurto discimus, *Imperatorem* si- 14. Febr.
sensum præbuisse ei rei, quam impedi- 1645.
re non poterat, nempe, vt Imperii
membris liceat suos *Monasterium* mitte-
re, atque ibi conferre, quantum quis-
que poterit, ad bonum publicum. Epi-
stolæ D. *Seruiani* nihil responsum aliud,
nisi, nihil opus esse vni Legatorum re-
spondere, cum ambobus responsum esset.
Esse *Pragæ* Imperatorem, vt inde spe-
culetur belli euentus. *Viennæ* scripta edi-
ta contra abolitionem indefinitam. Du-
ces *Pignoredam*, *Medinam*, *Torresium*,
Salamancæum & *Cameracensem Archie-
piscopum* mitti ab *Hispano* ad pacem
promouendam. Iungi copias *Hatsfel-
dii*, *Gotzii*, *Waertii*, *Gallassii*. A *Con-
stantinopoli* mandata venisse ad Princi-
pem *Rakoczium*, ne pacem faciat, eius
aulæ iniussu. Ægre a Marescallo *Turen-
næ* retineri copias dispersas cis & vltra
Rhenum, in ea maxime loca, quibus
pabulum suppetit. Sperare tamen, qui
cum eo sunt, Gallos, breui se posse po-
tiri *Hocksta*, *Coningsteno*, *Friburgo*, *)
& tributa capere de *Wetterauia*, ma-
xime si *Landgrauia* accepta, quod cre-
ditur, pecunia quadringentorum mille
scutatorum sua Gallis hyberna conce-
dat. Idem Marescallus *Turennæ* in *Pa-
lati-*

*) Fridberga.

14. Febr. 1645. *latinis* terris reſtituit Miniſtros Electorales veteres, & religionem tum Regis ſui, tum ſuam; nulla habita, vt audio, ratione eorum, qui *Auguſtanæ* ſunt *Confeſſionis*. Ciuitas *Wormatia* in hac aula conqueritur, quod in ea vrbe idem Mareſcallus *Caluinismum* introducat, nunquam ibi receptum. Ex *Anglia* audimus Archiepiſcopatum *Cantuarienſem* iam alii attributum Regis auctoritate. Dux *Lotharingus* obtulit operam ſuarum copiarum *Reginæ Angliæ*; ſed facere id creditur, vt plus ab *Hiſpano* obtineat. Velit enim copias ſuas augeri ad octo millia. Interim etiam hic conditiones tentat, &, quia ſuſpectus ipſe eſt, obtinuit, vt frater eius, Princeps *Franciſcus*, huc venire & pro ipſo res agere poſſit. *Galli*, quia *Batauis* opus habent, volunt circa honorum teſtimonia omnia illis concedere. Diſputatio manet, vtri Legati alteros acceſſuri ſint priores: qua in re Legati *Batani*, qui poſteriores venerant, antehac Legatis *Danicis* in hac vrbe conceſſere. Tam Rex *Hiſpaniæ* quam Dux *Lotharingus* dicuntur militem legere in tractu *Leodicenſi*, *Colonienſi*, *Iuliacenſi*, *Montano*: Galli, qui in *Caſali* erant, in *Burgundiam* & *Lotharingiam* venerunt. Hiſpani, qui *Bruxellæ* ſunt, dicuntur inuidere

uidere & *Piccolomineo* & *Bucquoio:* quo- 14. Febr.
rum hic, vt indigena; ille, vt ſuauis 1645.
moribus, magis indigenis placent. *Gaſ-*
ſio intercepit commeatus, qui aduecta-
bantur oppido S. *Audomari*, & in eodem
oppido quidam ſupplicio dicuntur af-
fecti, qui cum ipſo conſilia ſociauerant.
De *Motta* Lotharingiæ arctius premen-
da ſermones ſunt. Princeps *Condæus*
grauiter laborat ex calculo. Marchio
Sanctichaumontius propius *Romam* acceſ-
ſit. Legatus ab *Ethruſco* parem cum Regum
Legatis honorem obtinere non potuit,
iuſſusque a ſuo Principe fuit eos ſumere,
qui darentur. *Lotharingia* in vaſtitatem
redigitur per exactiones militares. *Lan-*
guedocia milites recuſat accipere, quos
mittit eo *Regina Regens*. Deus, Illu-
ſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Ex-
cellentiis Veſtris det omnia proſpera.

Lutetiæ XIV. XXIV. Februarii cIↃ IↃ c XLV.

Excellentiis Veſtris

inſeruire paratiſſimus

H. Grotius.

P. S.

Rex *Hiſpaniæ* creditur *Admiranti Ca-*
ſtellæ, qui nunc *Neapolim* regit, da-
turus ſummum imperium belli per *Hi-*
ſpanias; Cardinali autem *Triuulcio*

14. Febr. 1645. præfecturam *Neapolitanam*: auferre Marchioni *Tarracuſæ* imperium in copias per *Caſtellam*, & ad honores reuocare Philippum *Syluam* & Iohannem *Garaium*. Mareſchallus *Turennæ* nihil aliud habens, quod agat, auxit præſidia *Bacchariachi*, *Bingæ*, *Oppenhemii*, *Magontiaci*, *Wormatiæ*, *Spiræ*, *Philippiburgi*, *Germeshemii*, *Landauiæ*, *Neuſtadii*: profectus ipſe *Spiram* & *Philippiburgum*, vt ea loca inſpectet. *Roſa* maior per *Briſacum* iuit in Sueuiam cum mille ducentis equitibus; peditibus ſexcentis: expectans alios equites ſexcentos; pedites quadringentos. Ducis *Lotharingi* copiæ ſe tenent in *Hainauia*, *Querceti*, *Auermi Malbodii*; pars inter *Sabim* & *Mozam*. *Piccolominæus* ſperat, ſe decem millia militum ſupra eos, qui antehac fuere, exhibiturum, ſine nouis oneribus, per parſimoniam publicæ pecuniæ. Archiepiſcopus *Machlinenſis* mille equos emit de ſuo ad augendum equitatum Hiſpanicum. Ordines Britanniæ *Armoricæ* miſerunt, qui fidem ſuam *Reginæ* Regenti teſtentur.

XXIII.

Scripta manu propria. Est n. 1734.

Illustrissime & Excellentissime Domine!

Non quidem ita mihi cognitæ sunt res huius temporis, vt iis, qui eas tractant, & penitus introspiciunt. Sed, quantum mihi coniectura suppeditat, exterior rerum facies, aliter existimare non possum, quam ex vsu esse Regni Suedici, vt a *Germanico bello* quamprimum, sed honeste, absoluatur. Quare gaudeo, veniisse instrumenta ratihabitionis eorum, de quibus conuenerat: gaudeo etiam, de *Argentoratensi* ciuitate id factum, quod fieri debebat. Spero idem fore de Stralsundensi. Æquum enim est, vt ii omnes, qui in nostra parte fuere, sua desideria perferre possint ad Conuentus locum. De *corpore exanimi* spero itidem non longam fore controuersiam. Indignum id sit *Imperatore*. Quod vero exspectatur aduentus membrorum Imperii, præsertim cum pars eorum, qui iam aduenere, id desiderent, ratione non caret, dum ne paucorum in id forte procurata absentia tanti momenti negotium tardet. Vbi ad capita rerum ventum erit, 14. Febr. 1645.

14. Febr. 1645. illuc apparebit, qui bello frui velint, qui vero pacis ſtudio bellum ſuſceperint. 8. Mart. 1645. Quæ res ſi bene ſuccedat, ſaluti erit *Germaniæ*; ſin minus, honori tamen *Reginæ Regnoque Suedico*. Ego hic non deſino inſtare de augendo quamprimum & in apertum producendo exercitu, qui ad Rhenum eſt, vt ea re pars hoſtilium copiarum abſtrahatur a D. Mareſcallo *Torſtenſonio*. Sed, quanquam Princeps *Condæus* & Dux *Anguianus* id maxime volunt, video tardum id eſſe negotium. Et *Bauarus* hic ſemper ſuos habet *Monachos*. Deus, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine, Excellentiam Veſtram ſeruet incolumem & floren-

tem. Lutetiæ $\frac{XIV.}{XXIV.}$ Febr. cIↃ IↃ c XLV.

Excellentiæ Veſtræ

ſemper ſeruiturus

H. Grotius.

XXIV. *)

Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini!

8. Mart. 1645. A *Francofurto* diſcimus, *Cæſarianos* ſperare, ſe breuiori itinere poſſe præ-

*) Scripſit & priuatim eodem n. 1743. qua nunciat, ſe a Regina reuocatum.

præuenire Mareſcallum *Torſtenſonium*, ne in *Morauiam* penetret, & cum Principe *Rakoczio* ſe iungat. Eſſe cum iis *Bauaricorum* quinque millia; ſed commodata ad dies quindecim: quibus elapſis, nouam a Duce *Bauaro* petendam auxilii iſtius continuationem, & dubitari, an tam longe a ſuis finibus ſe duci ſint paſſuri: *Gallos* autem, qui Francofurti ſunt, dicere, ſe daturos CCC millia Thalerorum Imperialium *Rakoczio*: habiturum eum a *Torſtenſonio* duo millia Germanorum: daturum viciſſim *Rakoczium* de ſuis ſex millia: inceſſuroſque & hunc & illum exercitibus diuiſis: & iam cum ſex millibus iuiſſe *Rakoczium*, ut *Olmitzio* ſubueniat: *Bauarum* autem hoc agere, vt etiamſi res domus *Auſtriacæ* retro eant, & quidam Principum ſe cauſæ ſubducant, ipſe tamen ſuis ſe viribus ſuſtineat, & ſeorſim pactione aliqua ſibi conſulat. *Haſſi* ad *Marpurgum* dicebantur ſuas augere copias. *Francofurtenſis* autem Conuentus erat manſurus. *Gremonuilla*, Legatus Galliæ, *Romam* venit, multaque attulit ſecum contra Cardinalem *Antonium*. Videtur *Papa* confirmaturus Epiſcopos, quos elegit Rex *Portugalliæ*. *Veneti* autem non minus quam *Melitenſes* a Turca ſibi metuunt: habent quidem pacem; 8. Mart. 1645.

8. Mart. 1645. ſed incertam, diciturque Turcarum *Sultanus* portum in *Creta* petiiſſe commodato: quod cum negatum ſit, rupta commercia: addunt quidam, etiam a Turcis capta quædam *Dalmatiæ* loca, quæ tenebantur a *Venetis*. *Veneros* mittere quidem munera *Conſtantinopolim* ſi ſic placari ea aula poſſit; interim augeri ab iis *Cretæ* præſidia, militemque ſcribi in *Tiroli* & *Rhætia*. *Caſale* in Italia diligenter muniunt *Galli*. Mareſcallus *Turennæ Spiræ* eſt. *Auſtria* Imperatori donare dicitur millia florenorum centum & ſupra ſexaginta. In *Belgica Hiſpanica* magni fiunt dilectus. Rumor quidam eſt, duci a *Rege Hiſpaniæ* ſororem *Magni Ducis*, quæ triginta & octo habet annos. *Regina* Regens quatuor naues longas dono dat *Melitenſibus*. Sunt, qui ſuadent, ad pecunias reperiendas, ducentos florenos annuos exigendos ab iis, qui carrucas habent. In *Anglia* audimus ita interrupta colloquia, vt ſpes ſit ea repetendi. Capta a Parlamentariis *Schrouwsburgum* & *Scharborougum*; & hic quidem captas naues XII, quatuor machinas, arma multa. Nouas copias ſcribi a Parlamentariis: ab iisdem mari inuectos in *Plimuthum* commeatus, & eruptione facta damnum datum obſidentibus. Legati Italorum Princi-

pum

pum ſimul apud Cardinalem fuere his diebus. *Marſinus* ad Mareſcallum *Turennæ* ducit augmenta copiarum. Deus, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Excellentiis Veſtris det omnia proſpera. Lutetia VIII. XVIII. Mart. cIↃ IↃ cXLV. 8 Mart. 1645.

Excellentiis Veſtris

inſeruire paratiſſimus

H. Grotius.

P. S.

Harcurtius Narbona tranſiens ſex millia militum ex illis locis in *Catalaniam* transmiſit. Dux *Carolus Mottam* in Lotharingia ſperat ſe liberare ab obſidio poſſe. Legati *Batavi* Parlamento propoſuere, cum religionis cauſa communiter & Batauos ſpectet & Parlamentarios, ſperare ſe a Rege Magnæ Britanniæ poſſe obtineri, vt, quod Synodus Nationalis Angliæ canonice congregata, aduocatis etiam ex *Germania* & *Hollandia* doctoribus, decreuerit, conſtet. Non placuit hoc Parlamentariis, qui dixerunt, ſuam religionem ſibi eſſe cognitam. Inducias etiam aut dimiſſionem militis ab vtraque parte noluerunt concedere. Interim qui ſub *Eſſexio* fuere milites,

8. Mart. 1645. poſtquam ille ex Parlamenti decreto ſe ab imperio abdicauit, tumultuoſe agunt: tres turmæ ad Regem conceſſere: *Wallerus* conatus fuit in *Farnhamum* arcem ſe recipere. *Haltam*, arcem in *Wallia*, cepere Parlamentarii. Qui eiusdem in *Hybernia* partis ſunt, *Galwaiæ*, *Drohedæ*, *Dunkalkæ* oppidis inproſperas ſtruxere inſidias. *Hollandis* autem cuſtodienda offerunt oppida *Corham*, *Bamdobridgiam*, *Kenſalam*, *Veogilam*. Obſident *Hyberni Romanenſes* caſtellum *Duncananum*, occupatum a *Parlamentariis Hibernis*. Turcarum *Sultanus* habiturus dicitur naues longas ceu bellicas CCC, cum multis *Tartanis*, & in illis nauigiis, quæ *Barcæ* & *Polacquæ* dicuntur, initio Maii: partim exconuenient *Nauarinum* in *Peloponneſo*: partim mare obtinebunt inter *Melitam* & *Siciliam*, non minore Regis Hiſpaniæ, quam Melitenſium cum metu. Regi *Poloniæ* audimus *Auſtriacam* offerri coniugem. *Merciacum* apud Stutgardiam obſeruare conatus *Roſæ*, qui *Tubingam* redierat. Sultano *Ibrahimo* natus eſt filius. Petit *Sultanus* ab Imperatore, ſi pacem velit, tributum pro Hungaria. Munus annuum a Principe *Rakoczio* gratum ibi fuit.

XXV.

XXV.

Illustrissimi & Excellentissimi Domini!

Magni hic sunt rumores & magna gaudia de felice D. Marescalli *Torstensonii* prælio: de quo literæ venerunt quidem multis ex locis; sed expectamus certiores. *Francofurti* credebantur in loca propinqua conuenturi D. *Torstensonius* & D. *Rakoczius*. A Comite *Tzerino* missus quidam *Viennam* venerat, qui ostenderet, quibus modis *Sultanus* placari posset; non inutiliter, vt videtur: dicitur enim *Bassa Offensis* excursus ante fieri solitos inhibuisse. Mirantur prudentes, hoc ipso tempore nouum ab Imperatore factum edictum contra *Acatholicos*. At vero *Catholici* Romani in Imperio Principes dicuntur cogitare de fide *Galliæ* imploranda; sed quam suspectam habet Elector *Magontiacensis*, in id exempla aliquot afferens, etiam recentia. Certe loca, quæ a *Gallis* tenentur, magnis premuntur exactionibus. Marescallus *Turennæ* & in Wormatiam introduxit *Geneuensem Reformationem*: & *Lutherani* queruntur sibi *Oppenhemii* & aliis in locis sacrorum libertatem non permitti. Quæ ad pacem proposuit D. *Seruientus*, haben-

15. Mart. 1645.

15. Mart. 1645. tur *Francofurti* non pro nouis; ſed pro explicatione vberiore eorum, quæ dicta ſunt antehac. D. *Beaupuyus*, nobilis domeſticus antehac Ducis *Beaufortii*, qui *Romæ* aſylum ſibi futurum putabat, captus ibi eſt, & quatuor nauibus longis huc mittitur. Obligauit quidem Papam Cardinalis *Mazarinus*, cum Camillo *Pamphylio* Abbatiam dedit *Corbienſem* in Gallia, reditus habentem ad LXXX. millia florenorum; ſed, etiamſi id non eſſet, ſemper Cardinales omnes vltores erunt talis conſilii, quale ille *Beaupuyus* contra Cardinalem *Mazarinum* ſuſcepiſſe dicitur. Qui hic in *Baſtilia* ſunt ferme duodecim capti, in hoc, vt *Beaufortii* conſilia noſcerentur, dicunt omnes, ſe de *Beaufortio* nihil ſciſſe, ſed rogatos a *Beaupuyo*, vt in deſignatum locum adeſſent cum armis, creditum ſibi, eo ſe vocari ad controuerſiam aliquam, quales hic multæ inter nobiles oriuntur, armis definiendam. In Italia, quod cudebatur fœdus ad purgandam ab armis externis Italiam, quieſcit. Tantus vbique eſt a claſſe *Turcica* metus. Et Rex *Hiſpaniæ*, omnia alia denudans, vt *Portugallis* & *Catalanis* obſiſtat, magnas dat *Turcis* in *Calabriam* aut *Siciliam* occaſiones. Rex *Magnæ Britanniæ* huc ſcripſit, vt *Repreſſaliarum*

rum literæ, quæ datæ fuerant contra eos, qui Gallos erant deprædati, effectum suum habeant. Et habuere in Britannia *Armorica*; non item in *Normannia*, impediente id Parlamento *Rothomagensi*. Parlamenti autem Anglicani literæ, contra has molitiones scriptæ, ne lectæ quidem fuerunt. *Wamuium* recepere Parlamentarii iidem: *Schrosburgum* retinent. *Gorini* copias disiecerunt: ceperunt machinas XXVI. & alibi equos sexaginta. Spes ibi pacis nulla. Legati *Bataui Oxoniam* ierant. *Sabranus*, *Galliæ Residens*, oratione ad Parlamentarios habita, vt colloquia instaurentur, nihil obtinuit responsi. Audimus, quod antea suspicabantur, nonnulli, *Valencæum*, antequam *Romæ* abiret, clam cum Papa collocutum. Arma in Italia quiescunt. *Venetis* qui & ipsi *Turcam* metuunt, permissum mille milites in Papalibus terris conscribere. Papa nouem fecit Cardinales nouos, non ex Regum commendatione; sed suopte arbitratu. *Melitæ* a viginti mille hominibus defendetur, si eo se vis *Turcica* contulerit. Ex *Rosis* in *Catalania* eruptio facta, & repulsata est. At qui in *Ilerda* vicinisque locis sunt, *Hispani Trainum*, commodo ad itinerum transitus situ locum, obsident. Con-

15. Mart. 1645.

tra

15. Mart. 1645. 1. April. 1645. tra *Mottam* Lotharingiæ vallum obsidionale iam perfectum dicitur. Hæc sunt, quæ nunc habemus. Deus pacem det Christianis gentibus, idemque, Illustrissimi & Excellentissimi Domini, Excellentiis Vestris det omnia prospera. Lutetiæ XV. XXV. Martii cIↃ IↃ CXLV.

Excellentiis Vestris

inseruire paratissimus

H. Grotius.

P. S.

Audimus hic *Axelium Liliam* apud *Mansfeldiam* esse, vt munimenta ei loco detrahat: Landgrauium *Fredericum* esse in libertate. In *Hybernia* multi Hyberni Protestantes deprehenduntur coniurasse ad expellendos Anglos, quorum sane dura ibi fuit dominatio.

XXVI.

Illustrissimi & Excellentissimi Domini!

1. April. 1645. Perlata fama prælii feliciter pugnati a D. Marescallo *Torstensonio* ad *Taborem* vehementer *Cæsarianos*, qui *Francofurti* sunt, & alibi, perculit. Rogauit Imperator Principes, qui in proximo sunt,

vt

vt ſuos mittant *Ratisbonam*, quo & ipſe Imperator iturus creditur, & *Bauarus*, aut ibi, aut alibi, cum eo locuturus. 1. April. 1645.

Antequam pugna iſta fieret, *Iohannes Waertius* mandata domum redeundi acceperat. Nunc rebus mutatis *Mercicus* iuſſus eſt ire ad *Danubium*. Spes omnis in copiis, quæ in *Weſtphalia* ſunt; quibus ſe additurus putatur *Lamboius*. *Coningsmarckium* in *Franconiam* venturum metuunt multi, & *Torſtenſonium* alii in *Auſtriam*, alii in *Bauariam* iturum arbitrantur. In *Auſtria* ad *Onaſum* a ruſticis arma ſumi dicuntur, ſperantibus ſic reditum exulibus, quos olim inde eiecit Imperator *Ferdinandus* II. inter quos familiæ ſunt claræ vltra trecentas. *Frangipanus Francothaliam* aduenit cum pecunia, ſperatque ſe Gallis in eius loci obſidione abſumturum tempus ſemeſtre. Hic onera inſtituuntur in domuum menſuras, in fœnum, auenam, & alia. Plebis ad *Reginam* Regentem concurſus fuit iſta deprecantium. In Parlamento hac occaſione liberæ dictæ ſunt ſententiæ de pecuniis non bene impenſis. Ea de cauſa Præſes *Barillonius* iuſſus ire *Pinerolum* extra Galliam; alii tres conſiliarii rus ablegati. Conſtituerant Senatores Parlamentarii nihil rerum agere, priusquam Collegæ iſti,

1. April 1645. isti, magnæ existimationis viri, sibi redderentur. Sed non videntur in eo proposito perstituri. *Romæ* vult Papa, vt Legati carrucas sistant prætereuntibus *Cardinalibus*. *Hispanis* dolet, quod Cardinalis *Medicæus* Hispanica insignia foribus suis præfigere noluit, quodque Florentiam *Nuncius* mittitur. *Bentiuolius* ex domo Gallis addictiore. Qui *Mottæ* sunt in Lotharingia, sæpe cum obsessoribus pugnant: mittuntur hinc, qui obsidentium augeant numerum. Sed & Dux *Carolus* ad eximendum obsidio locum accingi dicitur. Mareschalli *Turennæ* milites ex *Lotharingia* exituri non sunt, nisi medio *Aprili* aut eius fine. *Beckius* in *Luxemburgicum* venit cum sexcentis florenorum millibus, ad nouos dilectus & ad munitiones faciendas. Dux *Longouillanus* itineri *Monasterium* se parat. Indictio facta est in eos, quibus pecuniæ reditus debentur. Ea effectura putatur *milliones* duodecim. Anglorum Parlamentariorum copiæ ad *Pontem fractum* cladem accepere. Spes pacis ibi nulla. Deus, Illustrissimi & Excellentissimi Domini, Excell. Vest. det omnia prospera. Lutetiæ I. Apr. / XXII. Mart. cIↃ IↃ c XLV.

Excellentiis Vestris

inseruire paratissimus

H. Grotius.

P. S.

P. S.

Galli *Rosas* in *Catalania* parant obsidere, arrepta occasione, dum naues *Neapolitanas* & *Siculas* detinet metus a *Turcis*, qui dicuntur ex *Dalmatia Hydruntum* transire velle. Et Rex *Hispaniæ*, cum in itinere esset ad *Cæsaraugustam*, dicitur retro *Madritium* reuersus, ideo quod ibi seditio esset orta. *Regina* Angliæ quinquaginta millia librarum *Sterlingicarum* transmisit *Excestriam*. Ciuitas *Londinensis* octoginta millia eius pecuniæ *Farfaxio* tradidit. Princeps *Robertus* & *Marmalucus* se cum Principe *Mauritio* iungunt, vt recuperent *Schrusburiam*, & *Brewertonum* Ducem Parlamentarium cædant. De possessione partis occidentalis Angliæ, armis certatur. Rex autem Angliæ & Princeps *Walliæ* erant *Bristoli*. 1. April. 1645.

Rumpuntur a *Cæsarianis* & *Bauaricis* pontes, & impediuntur vada *Danubii*. Augentur præsidia *Donawertæ* & apud *Ratisbonam* & in *Palatinatu* superiore. *Hassici Lichæ* præsidium posuere. Intra *Francothaliam* sunt milites mille quingenti. Multi suadent Electori *Magontiacensi*, vt *Hockstæ* & *Viselæ* pro Cæsarianis sua præsidia ponat.

Ab

1. April. 1645. Ab *Agatha*, qui eſt *Prouinciæ* *) portus, octo millia militum mari eunt

12. April. 1645. *Barcinonem*. Claſſis *Turcica* tota parata fore creditur fine *Maii*. Interea *Saram* in *Dalmatia*, tum veterem, tum nouam, oppugnarunt *Turcæ*, & apud *Meliten* habent XV. naues longas, & alias aliquot, ad prohibendas nictus & rerum belli aduectiones. Qui Regiarum in Anglia ſunt partium, dant Principi *Walliæ* ad corporis cuſtodiam mille & quadringentos pedites; equites ſexcentos. *Lamboius* duodecim militum millia per *Thuringiam*, ſuperiorem *Palatinatum* & *Onaſo* adſita ad Imperatorem ducere creditur. In *Badaioxa* inter *Caſtellanos* & *Portugallos* pugnatur. Ex *Vlyſſipone* quatuor naues ad Aſiæ *Indiam* iuere.

XXVII.

Puf. l. 17. §. 54.

Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini!

12. April. 1645. Dux *Bauarus* huc miſit *Pœnitentiarium* ſuum, *Verualtum* nomine, & Nobilem *Furnerium de Gocha*. Ita ſolet, vbi res eius malo ſunt in loco. Sed fuit

*) imo Languedociæ

fuit hodie apud me Dux *Anguianus*, qui dicit, notas eius artes. *Gallos*, si possint, per *Bauariam* in *Austriam* ituros, vt non longe a nostris & *Rakoczio* absint. Magnas dicit esse Gallorum vires in *Catalania*: ad *Rosas* decem millia; totidem in planis *Vergellæ* sub *Harcurtio*. Se iturum fine mensis Maii & adducturum duodecim millia ad ferme totidem, qui iam sunt sub Marescallo *Turennæ*. In *Flandria* esse exercitum *Hispanicum* ad XV. millia: bis tantum, si non amplius, futurum sub Duce *Aurelianensi*. In *Italia* arcanæ sunt inducix. *Papæ* & *Galliæ* male conuenit. Itaque Legatus *Gallicus* inde abit. Atrox est facinus *Hispanorum* in Prælatum *Portugallum*, quem Romæ occidere voluerunt, per homines ob crimina proscriptos. Ipse euasit; an cum vulnere dubitatur. Quidam ex comitatu eius occisi sunt. Sicarii se in domum Legati *Hispanici* recepere. *Prælatus* ille missus erat ob rem, quæ Pontifici non minus, quam Regi *Portugalliæ* est vtilis, vt *Bullæ* dentur super Episcopatibus, in *Portugallia* collatis. Ad *Rosas* fiunt obliqui accessus, vt ad vrbes obsessas fieri solet: & speratur breui in potestatem Gallorum venturum castellum magni vsus, vtpote portui imminens. A

12. April. 1645.

12. April. 1645. *Francofurto* discimus, Marescallum *Turrennam*, rupto, quem fecerat e nauibus, ponte, esse ad *Durlachum*; *Mercium* collecto peditatu, quantus colligi potuit, apud *Schorndorffum* in terra *Wirtembergica*: equitatu in multas regiones distributo: agris vndique vastatis: Bauarum quidem in Galliam suos homines mittere; sed & ab Imperatore eum studiose ambiri, misso *Haraco Monachium* ad impetrandas pecunias & milites. Ab eodem Imperatore missum *Leslæum* ad Italiæ Principes, in Poloniam *Mislichium*. A Cæsarianis rumores spargi de Machinis, quas habituri sint ab Electore *Saxoniæ*: de conditionibus oblatis Principi *Rakoczio*, ferme quales desiderat: de mandatis a *Sultano* Turca ad *Bassam Ossensem*, ne se istis rebus immisceat. *Hassos* ad *Marpurgum* expectare meliorem suorum valetudinem, non parum læsam hoc tempore; & quid facturi sint tum Dux *Anguianus*, tum *Coningsmarckius*. Eos vero Hassos Dux *Anguianus* putat ad suum exercitum appropinquaturos, tribus equitum; totidem peditum millibus. Dubitant Germani, an *Suedia* & an *Gallia* contumaciter perstituri sint in flagitanda restitutione domus *Palatinæ*: *Gallia* ob religionem; *Suedia* ob causas alias.

Abiit hinc pridem *Residens Polonus*: noui expectantur Legati, & dicitur Princeps *Casimirus* cogitationes sæculi resumere. Transiit per hanc vrbem *Comes Pineranda*, Legatus ab Hispania ad res pacis, quæ in Germania tractatur. Legatus *Venetus* ostendit, suos a *Turca* securos esse. Credo id vi pecuniæ apud *Bassas* effectum. *Melitenses* adhuc putant se peti & se parant ad vim arcendam modis omnibus. Princeps *Condæus*, quanquam ex calculo male valens, iuit in *Burgundiam*: dicit se octuaginta *millionibus* effecturum, ne quid exercitibus desit. Viginti *milliones* facile esset reperire apud subito factos ex publico diuites, aut eorum heredes. In *Languedocia* consensus manet, nec milites admittendi, nec dandi noua tributa: quod exemplum manabit longius. Literæ a *Constantinopoli* scriptæ IV. Februarii nos docent, *Sultano* natum filium quartum marem, ex femina valde ipsi dilecta. Magnus ibi esse ad bellum paratus. Erat tunc Imperatoris Legatus ad reditum se parans. Missum nuncium ex illa aula expectabat Princeps *Transiluanus*. *Sabrano*, Residenti Gallico, Rex Angliæ respondit, nihil se pacati sperare a Parlamentariis: itaque nihil opus tentari nouum conuen- 12. April 1645.

12. April. 1645. tum. Dux *Bauarus* dicitur, quos armauerat, rusticos dimisisse, credens in *Austriam* iturum *Torstensonium*: Iohannes *Waertius* in *Sueuia* esse cum duobus equitum millibus, reliquis ex clade ad *Taborem*. Dux *Neoburgicus* aduersus Electorem *Brandoburgicum*, cuius incrementa suspecta habet, amicos quærit. *Hassi Neoburgicos* milites pro hostibus habent. *Bauaricarum* copiarum magna pars ad *Danubium* ire dicitur. *Erlachus*, & simul *Bentfeldii* præfectus, *Stolhouiam* obsidere, non longe ab *Argentorato*: qua re cognita, eos, qui *Offenburgi* sunt, suis se tenere manibus, omissa defensione *Oberkirchæ* & *Croistadii*. Ducissa *Chemreusia* cum intellexisset id agi, vt *Incolismæ* retineretur, euasit, nescio quo? *Perresius* hinc in *Flandriam* ad permutandos captiuos mittitur. Dignitas Vicelegati *Auenionensis* dari a Pontifice dicitur amico Cardinalis *Mazarini*, ne eius animus a *Roma* nimium abalienetur. *Monbasonia* relegata est *Conseriam* apud *Turonas*. *Hispani* in *Flandria* exercitum habent ad XIV. millia: an *Wattenam* aggressuri, vt putat *Gassio*, an, vt *Gallis* aut *Batauis* obsistant, dubitatur. Hispanorum in *Catalania* exercitus esse dicitur ad XII. millia, & Rex Hispaniæ grauiter ægrotare.

tare. Ex *Motta* in Lotharingia eruptiones factæ satis prosperæ, diruto etiam castello, quod obsessis incommodabat. 12. April. 1645.

Ex *Anglia* discimus, *Essexium*, *Mancestrium*, *Digbyum* reddidisse Parlamento functionum suarum codicillos: *Farfaxio* satis amplam potestatem datam, non tamen, vt Præfectos imponat oppidis. Octoginta *Iacobæorum* millia ad eum mitti, vt alat exercitum, qui esse dicitur equitum sex mille sexcentorum; mille *Draconariorum*, quatuordecies mille peditum. *Melidrunus* adhuc pro Parlamentariis *Scharborugam* obsidebat: Princeps *Robertus* muniebat *Bambergam*. Milites Parlamentarios rapinis grassari etiam prope *Londinum*. *Monterosius* cladem in *Scotia* accepisse dicitur. Is est Dux ibi Regiarum partium: ad quas sustentandas multi ex *Hibernia* aduentant. Deus, Illustrissimi & Excellentissimi Domini, Excellentiis Vestris det omnia prospera. Lutetiæ $\frac{\text{XII.}}{\text{XXII.}}$ Aprilis cIↃ IↃ C XLV.

Excellentiis Vestris

inseruire paratissimus

H. Grotius.

P. S.

12. April. 1645. *Tscherinum*, Legatum Imperatoris, peruenisse *Budam* intelligimus. A *Pontisfracti* in Anglia obsidione disiectos Parlamentarios: Eidem parti suspectos esse factos Comites *Hollandiæ* & *Sussexiæ*: Eos, qui militarunt Comiti *Essexiæ*, tertiam facere partem, pro pace, *Episcopio* & *Liturgia* recepta.

II.

Historischer Bericht
von der
auf den Römischen Königs-Wahl-Tag
K. Carls V.
abgeschickten Französischen Gesandtschaft.

Aus der

Histoire des choses memorables advenues au Regne des Rois Louis XII. & François I. en France, Italie, Allemagne & Païsbas, depuis l'an 1497. jusques en l'an 1521. par Robert de la Marck, Seigneur de Heurange & de Sedan, Maréchal de France; in MSto.

En ce temps, que toutes ces choses se faisoient, l'Empereur Maximilian ayant volonté de faire encore quelques choses en Italie, & ayant le Roy Ambassadeurs vers luy pour traicter de paix & Amitié avec luy, la maladie le

prit en la ville d'Isbourg, dont il mourut, & fut dommage de sa mort, car il estoit bon Prince & resueilloit toute la Chrestienté, car quand il ne pouvoit faire quelque chose, sy monstroit-il le chemin aux autres, & doivent toutes gens de guerre estre marris de sa mort, & fut trouvé a la mort dudict Empereur une chose fort estrange, car il avoit toute sa vie faict mener un coffre après luy & pensoit-on, qu'il fust plein d'Argent ou de lettres, ou de quelque autre chose de grande importance, & n'estoit que sa sepulture, ou il vouloit estre ensulputuré, & par tout, où il alloit, fust en guerre, ou autre part le faisoit mener, & en la fin il fust mis & y est encore.

Le Roy estant à Paris on sceust les nouvelles, & les premieres nouvelles, qu'il en eust, fust par le païs des Suisses, les quelles il ne vouloit point croire du commencement, car on avoit des nouvelles, qu'il se portoit bien, & alors furent depeschez Monsieur l'Admiral, Monsieur d'Orval & l'Adventureux, pour aller en Allemagne, faire les pratiques de l'Empire pour le Roy estre Empereur, & fust conclu, qu'ilz feroient vers Monsieur de Lorraine à

Nan-

